DISSERTATIO

DE

ODIO SECUNDARUM NUPTIARUM,

QUAM

PRÆSIDE

PETRO MULLERO
JUR. D. ET PROF.

IN AUDITORIO ICTORUM

ad d. Februar.

publicè ventilandam sistit

AUTOR

ANDREAS Wege

Wansleb. Mansfeld.


JENÆ TYPIS GOLLNERIANIS

Anno MDCLXXIX.

ILLUSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO
DOMINO
JOHANNI
GEORGIO,
COMITI AC DOMINO
MANSFELDIAE, NOBILI DOMI-
NO HELDRUNGI, SEEBURGI, AC SCHRAP-
LAVIÆ, ETC. ETC.
COMITI ET DOMINO
SUO GRATIOSISSIMO

Hoc
QUICQUID EST LABORUM JURIDICORUM
Humillimè dedicat

ANDREAS Wege.



Cum Deo!

UTI FERT AREOPAGITARUM LEX:

Ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν.

CAPUT PRIMUM

TRACTANS

CAUSAM ODII SECUNDARUM NUPTIARUM TAM QUOAD MULIEREM, QUAM VIRUM IN GENERE. DESCRIPTIONEM. MODOS VINCULI PRIORIS DISSOLUTIONIS.

SUMMARIA.

Th. I. *Ethnici secundas nuptias intemperantiæ infamiâ laborare dixerunt.* II. *Patres in veteri Ecclesia in eundem prolapsi sunt errorem.* III. *Verùm rectè negatur secundas nuptias improbari. Promissio de perpetua viduitate servanda non valet.* IV. *Neque Ipsi Patres indifferenter damnarunt secundas nuptias;* V. *Nihilominus tamen Imperatores Christiani veteres de coercendis secundis nuptiis multas edidêre Constitutiones.* VI. *Quid per odium intelligatur.* VII. *Quid per Nuptias Secundas. Descriptio.* VIII. *Recensentur modi dissolutionis vinculi matrimonialis prioris.*

THESIS I.



Equidem non defuerunt *apud Ethnicos* secundarum nuptiarum Osores, qui eas intemperantiæ infamiâ laborare arbitrati sunt, unde illud Publii:

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.

Gentilis *lib. 6. d. nuptiis c. 22.* & Plutarch. *in Gracchum* laudat Corneliam Gracchorum matrem, quòd expetita à Ptolomæo maluerit vidua manere, quàm Regina fieri. Vidui-

tas enim genus pudicitiæ dicitur, Quintilian. *declam.306.* Servius *in Virgil. verf. huic uni forſan poteram ſuccumbere culpæ*, notat bis nuptos ab Ethnicis repulſam paſſos fuiſſe à ſacerdotio. & Hieronymus *lib. 2. contra Jovin.* Unicubæ ſemper inter mulieres habitæ fuerunt, per quas fortunæ muliebri ſacra fierent. Nullum ſacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum leges: Huc referendus locus Valerii Maximi *lib. 2. c. 1. d. matrimonior. ritu*: Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiæ honorabantur. Exiſtimabant enim, eum præcipuè matronæ ſincera fide incorruptum eſſe animum, qui depoſitæ virginitatis cubile pudicum egredi neſciret: multorum matrimoniorum experientiam quaſi legitimæ cujusdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.

Thes. II. Et *Patres in veteri Eccleſia* quidam in eundem prolapſi ſunt errorem, quemadmodum Hieronym, *d. l. & ad Salvin.* immundis animalibus & ſerpentibus in arca Noæ, vaſis dedecoris & matulis comparat digamos. & Origines *in Luc.* ait: non ignoramus, quod tale conjugium (reiteratum) rejiciat nos de regno Dei. Cujacius *d. ſecund. nuptiis* dicta Nazianzeni & Ambroſii refert: Illius *ex oration. in dict. Evangel*: Primæ nuptiæ legis, Secundæ indulgentiæ, Tertiæ prævaricationis, & vile eſt, quod ultra eſt. *Hujus* verò: A Deo primæ nuptiæ ſunt, Secundæ verò permiſſæ. Primæ ſub benedictione Dei celebrantur ſublimiter, Secundæ autem & in præſenti carent gloria. Athenagoras ſecundas nuptias *honeſta adulteria* cenſet. Baſilio M. *in Epiſtol. ad Amphilochium Can.* 4. Secundum matrimonium *caſtigata fornicatio* dicitur. Clemens Alexandrinus *lib. 3. Stroma* Secundas nuptias fornicationis vel peccati in proprium corpus accuſat, easque cum avaritia & idololatria cenſert, verbis: *Ad eos pudore afficiendos, qui ſunt proclives ad ſecundas nuptias aptè Apoſtolus alto quodam tono eloquitur: Omne peccatum eſt extra corpus. Qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat. Si quis autem Matrimonium audet dicere fornicationem, rurſus legem & Dominum inſectans maledictis impertit: quemadmodum autem avaritia & plures habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adverſetur ſufficientiæ, & uti idololatria eſt ex uno in multos Dei attributio: Ita fornicatio eſt ab*

uno

uno matrimonio ad alterum prolapsio. S. Ambrosius, si juxta corticem verborum ejus dictum accipiamus, ab isto errore non abest, ita enim *lib. 1. d. offic. cap. ul.*: Una tantùm nec repetita copula nobis permittitur, & in ipso conjugio lex est non iterare conjugium, nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem.

Thes. III. *Verùm* rectè negat Beza *d. polygamia* secundas nuptias moraliter improbari, quin simul improbentur primæ. quippe hic actus matrimonii iteratus non minus, imò quandoque magis conservandos castitatis ac honestatis terminos conducit. Ex sacræ scripturæ locis nullo negotio monstrari potest, Patres plures duxisse uxores successivè. Sic *Abraham* Pater Credentium mortuâ Sarâ *Kethuram* duxit *Genes. 25. vers. 1. Nabal* mortuo *Abigail* nupsit *Davidi. 1. Samuel. 25. vers. 42.* Apostolus Paulus *1. Cor. 7. vers. 39.* dicit: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si obdormierit vir ejus, libera est ad nubendum, cui vult in Domino & *Roman. 7. vers. 2. & 3.* Quæ sub viro est mulier, vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; sin autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Quæ adeo vera sunt, ut nec promissio de perpetua viduitate servanda seu votum perpetuæ continentiæ valeat seu subsistat, quia sanctioni divinæ de conjugio opponitur, & cum periculo animæ atque corporis conjunctum est, siquidem hac ratione qvis se illicitis ustionibus, quibus per conjugium mederi valet, objicit Balduin. *de casib. conscient. l. 3. cap. 8. cas. 7.* ubi hæc addit verba talia vota facienda non sunt, quæ ordinem Dei convellunt, vel corpus aut animam lædunt, vel occasionem peccandi præbent. *vid. infr. corollar.* ubi Specialis casus habetur.

Thes. IV. Neque ipsi Patres indifferenter damnarunt nuptias secundas. Epiphanius *heres. 48.* eas clarè probat, dicens: Ecclesia virginitati congaudet, *Unas* nuptias honorat. Sed si quis per debilitatem opus habuerit post propriæ uxoris obitum SECUNDAS nuptias contrahere, hunc veritatis regula non interdicit. S. Augustinus *libr. contra adversarios legis* Secundas Nuptias in utroque Testamento permissas docet. Et *in quæst. ex V. & N. T. collectis* mulieris in urbe Roma *meminit*, quæ maritos undecim, & viri alterius, qui duodecim uxores habue-

rit *cap.115* exemplum ejusmodi, ubi vir 20. uxores, & uxor quæ 22. maritos habuerit, hæque personæ matrimonio copulatæ fuerint, lege sis in D. Præsidis *tract. quem inscribit: Præsidia Domus Illustris cap.4. posit. 10.* Imo iidem, qui modò de primis, modò secundis sinistrè loquuti erant, alibi honorificè sentiunt. Sic S. Ambrosius, qui in conjugio legem fixerat dicam, an finxerat de non iterando conjugio, aliter de viduitate sentit: Alia, ait, est infirmitatis Contemplatio, alia gratia castitatis. *Non prohibemus Secundas nuptias*, sed non probamus sæpe repetitas. Sicut vinum bibere licet, sed plurimum non decet: ita nubere licet (viduis) sed pulchrius est abstinere. Ipse Tertullianus (qvem ob rejectas Nuptias Secundas S. Augustinus hæreticis connumerat,) *contra Nicolaitas vel contra Marcion. c. 30.* Sanctitatem, inquit, sine Nuptiarum damnatione novimus & sectamur & præferimus non ut malo bonum, sed ut bono melius: non enim projicimus nuptias, sed deponimus, nec præscribimus sanctitatem, sed suademus, servantes & bonum & melius pro *viribus cujusque* sectanda. D. Hildebrand. *libell. de nupt. veter. Christianor.*

Thes. V. Nihilo tamen minus Imperatores Christiani Veteres inprimis dogmatibus Doctorum Ecclesiæ informati de coercendis nuptiis secundis multas edidêre Constitutiones prout videre est ex *tot. tit. C. d. secund. nupt.* neque etiam omni ratione destituitur *odium*, quod adversus digamos concepêre; non quòd de jure divino vel civili sint damnatæ, nec quòd anima defuncti conjugis per alias nuptias superstitis conjugis crucietur; sed quòd uxores quod attinet, eas lugere maritos debeant, imò ex festinatione secundarum nuptiarum oriatur turbatio sanguinis, & quod etiam quoad viros per secundum matrimonium extantibus liberis ex priori rixæ & friguscula veniant; effato enim Hieronymi, si evenerit, ut ex secundo marito habeas filios domesticos, oritur pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis, quos antea genuisti. Clam porriges cibos, invidebis mortuo, & nisi oderis filios, adhuc eorum videberis amare patrem. Quod si vir ex priori uxore sobolem habens domum te

-introduxerit, etiamsi clementissima fueris, omnes Comædi & mimimographi in novercam sævissimam reclamabunt. Si privignus languerit & condoluerit caput, infamaberis ut venefica; si non dederis cibos, crudelis, vid. D. Præses. in *dict tract. cit. loc. & dissertat. de friguscula cap. 5. th. 15.*

Thes. VI. Nobis hocloco *Odium* non est appetitus pravus seu concupiscentia â debita charitate dissonans, de quâ Thom. *2. quæst. 34.* Joh. Azor *Instit. Moral. lib. 3. cap. 12.* sed malevolentia quædam erga secundò nubentes per leges licita; ut proinde vocabulum Odii latius accipiatur. vid. Aug. Barbosa *axiom. lib. 13. c. 16. n. 6.* ita ut Odium hoc licitum sit, conceptum nempe adversus id, quod leges detestantur. Tale odium fundamentum habet in jure nostro, vid. *l. 3. C. d. nupt. l. 40. d. condict. indebit. l. 33. §. 1. C. d. inoff. testam.*

Thes. VII. Per *Secundas Nuptias* intelligimus non nudè dictas secundas, sed iteratas, sive tertiæ, sive quartæ vel ulteriores sint, *l. 4. pr. C. d. bon. quæ liber.* D. Richter *d. Signif. adverbior. p. 10.* ita ut secundæ nuptiæ dicantur omnes post primas *rubr. & l. 6. C. d. sec. nupt.* Menoch *consil. 4. n. 38. vol. 1. Rol. à vall. consil. 72. n. 41. vol.* ubi dicit, quod dispositum de secundo conjugio, locũ etiam habeat in tertio adeoq; in infinitum ut ait Mantica in *conject. ult. vol. lib. 11. tit. 19. n. 9. in fin.* Sicuti duo rei stipulandi vocantur, licet perplures sint *pr. Inst. d. duob. reis stipul. &* in materia substitutionis dum dicitur secunda hæredis institutio, non excluditur tertio, vel quarto vel ulteriori gradu facta: Describi potest OdiumSecundarum Nuptiarum, *quod sit Displicentia legis cum pœna quandoque conjuncta, ob matrimonii reiterati vel festinationem vel metum mutata erga liberos prioris matrimonii affectionis, ut iis, quorum interest, consulatur, affectusque renubentium refrenetur.* Notanter liberorum ex priori matrimonio natorum facta est mentio; nam si liberi non adsunt, finito luctûs tempore, ad secunda vota absque incommodo transire quis potest.

Thes. VIII. Ut autem nuptiis secundis locus sit, prius matrimonium dissolutum esse necesse est. Dissolvit matrimonium MORS, quæ ut aliàs omnia *Nov. 22. c. 20.* sic etiam matrimonium dirimit. *1. Cor. 7. vers. ult. c. fin. c. 31. qu. 1.* Wesenb. *ff. d. divor 39.*

per

per mortem verò intellectam volumus naturalem. Mortem enim Spiritualem propter amplexatum Monachismum *Nov. 22. c. 5. Nov. 123. c. 40.* quâ matrimonium dissolvi volunt Pontificii *c. 2. 4. 5. 6. 9. 14. X. d. convers. conjug.* non agnoscimus. Præterea solvitur vinculum matrimonii propter ADULTERIUM, FORNICATIONEM, *πορνείαν*, *Matth. 5. vers. 32. c. 19. v. 9. Luc. 16. v. 18.* quo verbo omnia delicta adulterio graviora aut paria, quæ substantiã conjugii evertunt, comprehenduntur, vel saltem non excluduntur. Parti innocenti, si nolit aut se continere nequeat, ad secundã vota conceditur transitus. Carpz. *Jurispr. Eccl. lib. 2. d.* 189. & *in prax. crimin. qu.* 53. Nocenti parti, si pœna eam nulla subduxerit, deficiente omni condonationis spe *arg. 1. Cor. 7. v. 11.* certis intervenientibus circumstantiis ex speciali Consistoriorum dispensatione mutata sede fortunarum & domicilii vel pœna pecuniariâ exolutâ permittuntur secundæ nuptiæ. Carpz. *d. l. 1. & lib. 3. d. 71. n. 12.* quia prioris conjugii vinculum est solutum, & perpetuæ veritatis est regula Apostolica: *Si se non contineat, nubat*, & satius est honesto conjugio eam devinciri, quàm scortationibus & adulteriis liberè indulgere D. Gerhard. *in lib. d. conjug. §. 622.* Bidenbach *d. caus. matrim.* & ita Consistorium Lipsiense *d. 8. Nov. 1676.* rescripsit. Propter MALITIOSAM DESERTIONEM dirimi matrimonium probatur 1. *Cor.* 7. *v.* 15. qualis desertio adulterii seu fornicationis quædam species dici potest, Wesemb. *ad tit. ff. d. divort.* Carpz. *l. 3. d. 56. per tot.* Gerhard. *d. Conjugio §. 6. nec interest* 13. desertio hæc sive à muliere sive à marito facta sit, inter utrumque eadem ratio, idemque jus statuendum *l. 108. ff. d. V. O.* Cui malitiosæ desertioni æquipollet pertinax DENEGATIO DEBITI CONJUGALIS B. Luther. *lib. d. vit. Conjug.* Bidenbach *d. caus. matrim.* recenset in tali casu factum fuisse divortium in Consistor Würtemberg. anno 1600. Quod etiã Consistorium Lipsiense anno 1655. secutũ in causa Hoyer Schatzens/ uxori per 13. annos debitum denegantis his verbis: Das Klägerin gestalten Sachen nach von Beklagten hinwiederum billich geschieden/ und da sie ohne verletzung des Gewissens ausser dem Ehestande nicht bleiben kan/ ihr in andere wege sich Christlich zuverehelichen und die Ehe/ iedoch ohne Gepränge/ zuvollziehen verstattet und nach-

nachgelassen/ Beklagten aber ohne unsern Verbewust und Einwilligung solches verbothen wird. V. R. W. Magnific. D. Struve *dissert. d. jure divortiorum cap. 3. n. 41.* Causa divortii quoque est ERROR VIRGINITATIS. In sacris enim expressus extat locus *Deuter. 22. v. 13. 20.* & hodienum in Consistoriis recepta est hæc sententia, ut matrimonio per errorem contracto, si mulier reperiatur vitiata ob defectum conjugii hypotheticè considerati substantiæ, aut saltim qualitatis intrinsecæ dissolvatur vid. Bechstad *d. condit. sponsal. c.* 10. *n. 14.* D. Ziegler ad Lancell. *l. 2. tit. 11. §. 1.* D. Struv. *Syntagm. Jur. Civil. ex. 29. th. 25.* Arumæus *Disp. 15. th. 6.* & tandem IMPOTENTIA generandi præexistens, non superveniens, matrimonium, quod ipso quidem jure nullum est, annihilat ac dirimit. Putativum enim matrimonium illud, cui maritus talis vel uxor ob finem suum primarium superesse non potuit, esse invalidum, illudque tabb. nuptialibus inscribi solitum fuisse asserit Brisson. *d. formulis* P. R. Rittershus. *p. 4. c. 7. n. 10.* vid. Kitzel. *synops. c. 8. th. 4. l. b.* Selden. *d. Jur. N. G. lib. 5. c. 7. & Uxor. Hebr. lib. 3. c. 18.* distinguendum tamen est inter *Naturalem*, *Accidentalem*, & *Maleficialem* vid. D. Simon. *tract. d. impotentia conjugali.*

CAPUT SECUNDUM

CONSIDERAT

ODIUM VIDUÆ RENUBENTIS IN GENERE.

SUMMARIA.

Th. I. *Privilegia, quæ ex persona Mariti defuncti competunt viduis, quorum quædam enumerantur, renubens amittit. II. An vidua ad secundas nuptias convolans amittat dotalitium? Pro Negativâ afferuntur rationes. III. Pro Affirmativa. IV. quid pactis cautum sit, inquirendum est. Cautela abundans. IV. Proponitur elegans casus & quæstio: Num prædium sub perpetua viduitate relictum, & hactenus possessum, vidua secundò nubens tam ipsum quàm fructus ejus teneatur restituere? Pro negativa afferuntur rationes. VI. Pro Affirmativa. VII. Respondetur ad rationes dubitandi. VIII. Affertur similis fermè casus cum præjudicio Ictorum Helmstadiensium.*

THESES I.



Agna sanè sunt privilegia, quæ ex personâ Mariti defuncti competunt viduis: Inprimis ea, quibus Maritus usus est, *arg. l. fin. C. d. privil. Scholar.* Gvido Pap. *Decis. 379.* retinet enim uxor viduata omnia jura mariti Brunnem. *ad l. ult. C. d. incol.* repræsentat imaginem mariti defuncti, Bald. in *l. Pignoris C. d. pign. action. n. 2.* qvod in iis privilegiis & juribus verum est, quæ marito non ratione officii & professionis, sed ratione dignitatis competierunt Bart. *ad l. semper §. immunitatis ff. d. jur. immunit.* Stephani *d. jurisdict. lib. 3. p. 1. c. 19. n. 27.* Carpz. *d. jur. fœminar. singul. dec. 1. pos. 5. n. 8. & seqq.* Sic Doctorum viduæ gaudent privilegiis *authentica habita C. ne filius pro patre.* Plebeja, quæ Nobili nupta fuit, nobilitatis particeps manet, Tiraquell. *d. nobilit. c. 18. n. 5.* & virgo nobilis viro ignobili copulata nobilitatem, quam ex paterno sanguine habet, perdit, nec soluto matrimonio restituitur *l. 1. C. d. dignit. l. 8. d. Senat* Tiraquell. *d. l. n. 38.* fruuntur quoque viduæ beneficio & jure Collegii, cujus maritus particeps fuit, unde est, quod Artificium defuncti mariti per expertum ministrum (Meister Gesellen) vel filium exercere possint, Stephani *d. tract. l. 1. c. 12. n. 179.* Perez. *ad tit. d. murileg. & Gynæc. n. 5.* Gregor. Tholosan. *syntagm. jur. lib. 9. c. 4. n. 18.* Sic vidua forum domicilii mariti retinet, *l. 22. §. 1. ff. ad municipal. d. fin. C. d. l. priv. Scholar.* Zanger. *d. except. part. 2. c. 1. n. 56.* licet Mariti sit speciale privilegiatumque forum Brunnem. *ad l. final. C. d. incolis* mortuo ergò marito nihilominus domicilium ejus adhuc retinet, quia fictione quadam juris matrimonium adhuc stare & durare censetur Perez. *ad tit. C. d. dignitat. n. 55.* Frid. Pruckman *d. differ. utrinsque sex. part. 1. membr. 3. art. 22.* vid. *l. 2. C. d. Episcop. & Cleric. l. 2. C. d. advoc. divers. judic. l. ult. C. d. incol. l. 13. C. d. dignit.* Costal. *in l. 8. ff. d. Senat.* Christinæ *5. dec. 131. n. 12.* Carpzov. *lib. 2. tit. 2. respons. 24. n. 18. & seq. & 4. const. 21. def. 11. & Const. 27. def. 4. num. ult.* Klock. *d. contribut. c. 15. n. 32. & seqq.* Knipschild. *d. jur. civit. c. 20. n. 45.* D. Richter. *singul. in authent habita C. ne filius pro patre.* Mevius *4. decis. 117.* Brunnem *in l. 22. n. 1. ff. ad municip. & in tit. C. d. privileg. Scholar. & in tit. C. d. re militar.* Viduæ enim

habentur

habentur perinde, ac si viros superstites haberent *l. fin. C. d. bon. matern. l. 1. §. exactio C. d. rei uxor. action.* & sunt pars corporis maritorum, qui longè absentes in personâ viduarum adesse videntur *l. cum scimus C. d. agr. & cens.* Klock. *d. c. 15. n. 35. 36.* Carpz. *d. def. 4. n. 7.* quod teste Dn. Frideric. Mullero JCto *in practic. Civil. marchic. resolut. 6.* Dnn. Consiliarii Elector. Brandenburg. in Secretiori Senatu, geheimten Rathe/ die 9. Mart. anno 1669, in causa der Bürgerschafft zu Berlin/ contra den Rath und eximirten daselbst/hisce formalibus: **der Witwen der verstorbenen** Exemptorum, so lange sie im unverrückten Stande bleiben **haben sich dieser** Exemption (intellige der hospitation, Einquartirung sive servis) **so wohl als da ihre Männer in** vivis **gewesen**/ annoch ungehindert/ doch daß ihnen **etwas von der Nahrung** wo sie die treiben / zugeschrieben werde / zugebrauchen. Quæ tamen omnia privilegia vidua AMITTIT, si ad secunda vota transit *l. 22. §. 1. ff. ad municipal.* ibi: *vidua mulier amissi mariti domicilium retinet, exemplo carissimæ personæ per maritum facta, sed utrumque aliis intervenientibus nuptiis permutatur Nov. 22. c. 36.* Amittunt quoque privilegia *legis unicæ C. quando inter pupill. & viduas & cap. II. X. d. for. compet.* cùm cesset illa juris fictio, quâ matrimonium in viduitate durare dicitur. Amittit ergò dignitatem prioris matrimonii, & sequitur conditionem secundi *l. 8 ff. d. senat. l. 13. C. d. dignit.*

Thes. II. Num autem *vidua illustris, si ad secundas nuptias convolat,* wenn sie den Witthumbs Stuhl verändert, *amittat Dotalitium* Q? D. Nicolaus Henelius *tractat d. Jure dotalitii cap. 10. §. 17.* putat, quod non, cùm nullus detur textus, qui hanc amittendi dotalitii causam probet; & conditio ista impleta esse intelligatur, si semel, brevissimo licet tempore, vidua fuerit, qvamvis talis non permaneat, sed nuptias contrahat. Sufficere conditionem vel momento temporis extitisse, etiamsi postea evanescat; nam, ut Baldus *in l. precibus n. 6. C. d. impuber. & al. substitut ait,* in conditionibus attendimus principium primæ existentiæ, neque curamus ejus successum. Et textus est in *l. ult. C. d. indict. viduit. toll.* ubi Justinianus legatum hujusmodi verbis mulieri relictum: *Si vidua erit, quotiens vidua erit, cùm vidua erit.* vel e-

 contra

contra viro, *si amiserit uxorem*, vel *quando ad cœlibatum pervenerit, omnino debere, etiamsi legatarius aliam uxorem duxerit, vel alii viro nupserit, atque ita conditionem, quæ semel extitit, non resolvi.* atque ita Venetiis controversiam de legato ususfructus relicto, cum mulier adviduitatem pervenerit, decisā Paulus Castrensis dicit, vid. Scipio Gentil. *tract. d. secund. nupt. c. 15.* Rittershus. *ad Nov. part. 4. c. 4. n. 23.* ubi dicit: Si maritus uxori usumfructum legavit in rebus suis, mariti nempe, propriis, idque vel purè vel absolutè, vel hac adjectâ conditione, ut per secundas nuptias ususfructus interiret. De priore casu ita jus est hodie, ut mulier per secundas nuptias eum usumfructum non amittat, qvem vir per constitutionem *l. unic. C. si secundò nupserit mulier* hodiè abrogatæ, amitteret. Posteriori verò casu certum est, usumfructum amitti secundis nuptiis, & per *d. l. unic.* & multò magis *per authent. hoc locum habet. eod. tit.* sive *per Nov. 22.* & hoc congruere videtur juri Saxonico lib. 3. art. 76. in verbis: **Nimmet ein Mann eine Wittwe/ die Eigen/ oder Lehn oder Zinß-Güter zur Leibzucht hat.** Unde constat viduam per secundas nuptias non amittere Dotalitium à priori marito constitutum, sed illud ad secundum maritum adferre, qui eo ad vitam usque Uxoris utitur fruitur. Etiamsi quis ducat Uxorem commorantem in Castro Dotalitio assignato, Matthæ. Wesenbec. *cons. 333. n. 58.* adeo, ut non modò Secundus, sed etiam Tertius Maritus dotalitii fructus percipiat & lucretur, nec post mortem uxoris quicquam horum fructuum perceptorum nomine restituere obstrictus sit Mart. Coler. *cons. 25.* Schœffer *pract. quæst. 10. n. 1 part. 2.* laudatusque Henelius *d. l. lit. 2.* refert exemplum *Elisabethæ* Reginæ *Wenceslai* Senioris Bohemiæ Regis, quæ vidua facta ad secundum maritum *Rudolphum* Ducem Austriæ, non solùm dotalitium attulit, verùm etiam defuncto Rudolpho illud ad dies vitæ retinuit.

Thes. III. Hisce tamen *Contrarium* asserens D. Mylerus ab Ehrenbach *in Gamologia Personarum Imperii Illustrium cap. 14. th. 8.* nempe quod Vidua illustris transiens ad secunda vota, Dotalitium cedere debeat Successoribus in Principatu aut Comitatu; Quis non videt, *inquit*, superstitibus liberis, fæminas opibus

prio-

priorum maritorum ad iteranda matrimonia provocari, procos allici, & de spoliis priorum redimi sequentes maritos, magnâ liberorum fraude? Cùm viduæ exemplum haberent à legibus Imperialibus ob oculos ponendum, quæ lucra de primis maritis quæsita, nuptias iterantibus adimunt, adeo ut etiam usumfructum relictorum amittant *l. 1. ubi August. Barbosa C. d. secund. nupt.* Boer. *decis. 198.* Tiraquell. *d. revoc. donat. in l. si unquam, n. 126.* Nam fæminis tot admissarios recipientibus, quæ gratia pudicitiæ & floris, â quo Doaria tribui volunt? Bertrand. Argentræ. *ad consil. Britan. art. 433. gloss. 1. n. 4.* & notat D. Mylerus *cit. loc.* ita usu Imperii inter familias Illustres observari, ut Vidua secundas nuptias contrahens, sive liberos habeat, nec ne, Dotalitio cedere, & accepta dote illata, in novi mariti illustris familiam transire teneatur, und sie wird mit dem zugebrachten Heurath-Guth von dem Witthum hinweggelöset.

Thes. IV. Si veritatem Theoricam attendamus, D. Henelii sententia amplectenda videtur, quamvis teste D. Mylero usus diversum velit. In prædictis tamen casibus ante omnia respicienda sunt pacta dotalia, quæ præcisè observari debent, nec ab iis Conjuges recedere possunt *t. t. ff. d. pact. dotal. & t. C. d. pact. conv.* Melius ergo & pro cautela esse videtur, certi quid exprimere, ne tali existente casu litigia inter affines vel ipsos liberos, si adsint, oriantur. Formulam habet D. Mylerus *d. l.* Da sich aber zutrüge / daß unsere hertzliebste künfftige Gemahlin Fräulin Ingeltrudiß nach unserm tödlichen Abgang den Wittibstand verändern / und sich anderwärtig verheurathete würde / alsdenn solle es zu unser Hertzog Engelberts Erben Belieben und Gefallen stehen Ihr Gnaden von derselben Witthumb Sitz / mit 30000. Gülde zugebrachtes Heurath-Gut aus- und abzulösen: Jedoch daß Ihre Gnaden ein halb Jahr zuvor / mit Ihren besigleten Briefen / die Lösung ankünden etc. Similis ratio in eo casu est ubi viduæ habitatio relicta vel certum pretium annuatim pro eâ exolvendum est, ad secundas nuptias transit, quòd tunc, quando expresse ita dispositum est, expiret: Formula talis poni solet: Hiernechst sollen des Herrn v. N. Lehens und andere Erben der Fräulein Braut eine bequeme Behausung ihrem Stande gemäß verschaffen / oder

(welches ebenfals in der Fräulein Braut Wilkühr/welches Ihr beliebet zufordern so dann stehet) Ihr N. Gülden Jährlich Haußzinß so lange sie am Leben/ und **Ihren Wittben-Stuhl nicht verrücket**/unweigerlich zubezahlen/ gehalten und obligiret seyn.

Thes. V. Quid si Maritus in testamento leget uxori Prædium *sub conditione: si non nupserit.* verbis: Ferner verschaffe ich meiner hertzgeliebten Ehefrauen C.v.G.gebohrnen v.W. über das/ was Ihr vermöge unser beederseits ufgerichteten Eheberedung gebühret/das von mir vor 10000.Thaler vor X.Jahren erkaufte Guth N. Wenn und so lang sie keusch in ihren Wittben Stande bis an Ihr Ende verharret. **Falß Sie aber wieder heurathen solte/sol dises Guth meinen Kindern Kraft dieses wieder** restituiret **werden.** *Q. Num prædium istud sub perpetua viduitate relictum, & hactenus possessum, vidua secundò nubens tam ipsum quàm fructus* ejus *teneatur restituere?* Non caret dubiis hoc problema. *Pro vidua,* quod nempe ad restitutionẽ ob transitum ad secunda vota non teneatur, militant seqq. rationes: I. quod hæc conditio sit contra bonos mores, & sic impossibilis. Sicuti autem naturâ impossibiles conditiones pro non scriptis habentur §.10. *Inst. d. hered. l. 1. d. condit. instit.* ita lege tales remittuntur *l. 9. eod. l. 8. l. 20. d. condit. & demonstr.* Nec est, quòd quis dicere velit, hanc conditionem in se & simpliciter turpem vel lege impossibilem non esse: Nam quamvis conditio aliqua in se sit possibilis, & respectu demum circumstantiarum impossibilis; tamen in eo, cujus respectu impossibilis est, pro non scripta habetur aut remittitur, Magnif. Dn. Struv. *Syntagm. jur. civil. exerc. 33. th. 49.* II. Est præterea expressa *lex 2. C. d. indict. viduit.* ubi Imperator Justinianus ait: *Licere mulieribus etiam maritorum suorum interminatione, qua viduitatem eis indicit, spreta, ad secundas migrare nuptias, & ea percipere, quæ maritus dereliquit,* concordat *l. 3. eod. l. 63. l. 74. d. conditionib. & demonstr.* & III. quamvis hæc dispositio legum correcta per *authenticam Cui relictum C. d. indict. viduit. & Novell. 22.* videtur fuisse, tamen ejus causa odium

odium secundarũ nuptiarum, quæ in primitiva Ecclesia disſvadericœpta est,uti supra dictum,non est;quæ ratio quoniam invalida censetur, igitur IV. non absque ratione hodie quæ d. *Novell. 22. c. 43. & 44. & auth. cui relictum C. de indict. viduit.* contra antiquiores Constitutiones Justiniani disposita non observantur. Ita expressè statuit & hanc authenticam in usu non esse post Baquet. docet,& secundùm infra *citat. l. ambiguitates 2. C. d. indict. viduit.* judicatumBurdegalæ anno 1563.ex Bergh. Autom. refert Paul Christinæ. *vol. 3. decis. 39. n. 7.* & celeberrimi nominis JCtus Rittershusius ad Novell. *part. 6. cap. 6. n. 7. exempl. 2.* adhuc hodie inter exempla, quæ jus remittit heredi conditionem viduitatis ponere non dubitat. V. videntur filii & heredes hoc ipsum agnovisse, eo ipso, quoniam sine cautione Mutiana exacta à Matre passi sunt capere hoc Legatum matrem viduam, quam aliàs exigere debuissent, *juxt. auth. cui relictum & Nov. 22. c. 43. & 44. D. Franzk. 1. resol. 15. n. 26.* VI. disposuit hîc Maritus testator, ut mulier castè vivat usque ad exitum vitæ; quo casu eam,cum secundo nubat, legatum non perdere tenent in terminis egregii ICti Bartol. *in l. mulier §. cùm proponeretur ad S. C. Trebell.* Hippolyt. *singul*, 577. Everhard. *loc. 91. col. 5.* Felin. *in c. cum sit. n. 13. d. for. compet.* quæ sententia niti videtur fundamento in expresso textu *c. Nicena Synodus dist. ubi servari dicitur castitas in propriæ uxoris concubitu.*

§. VI. *Verùm* hisce non obstantibus Viduam *secundò nubentem* ad restitutionem legati prædii omninò esse obstrictam evincunt sequentia: I. Quamvis juxta anteriores Justiniani Constitutiones sive viro sive uxori imposita conditio viduitatis penitus remitteretur, capiendique legati potestas daretur *l. 2. & 3. C. d. indict. viduit.* attamen has ipsas leges mutavit *d. Novell. 22. c. 43. & 44.* ex qua postea desumta est *authent. cui relictum C. d. indict. viduit.* ubi disposuit: conditionem viduitatis nullo modo remitti ei,qui quæve in viduitatem, mortuo priori conjuge,pervenerit,in tantum,ut intra annum planè nulla esset sub hac conditione relicti legati petitio, post annum verò ita demũ esset, si caveatur de non nubendo vel uxorem non ducendo,

nec

nec non de legato integro, & non facto deteriori cum fructibus aut usuris restituendo Hilliger. *ad Donell. 8. commment. 32. lit. I. K. L.* Colleg. Argentorat. *t. d. conditionib. & demonstrat. Thes. 25. n. 9.* quæ omnia accuratè deducit D. Franzkius *resol. 15.* secundùm hæc iura tanquam novissima judicandum eò magis, quoniam II. nullibi videntur esse mutata aut correcta aut contrariâ observantiâ quoad has regiones sublata; correctum autem quod non est, quare stare prohibeatur *l. 32. C. d. appell. l. 27. C. d. testament.* quibus III. adstipulatur communis opinio, modò in facto verum sit, voluisse testatorem sub hac conditione transire legatum vid. Cævall. *commun. opinion. contr. commun. 1. quæst. 151.* IV. apposita hîc est restituendi necessitas, si nubat, per fidei-commissum, quo casu etiam Jure veteri restituendum erat legatum juxta Cajum in *l. 14. pr. d. legat. 3.* ubi Ictus ait: *non dubium est, quin si uxori legatum sit,* si non nupserit, *idque alii restituere rogata sit, cogenda sit restituere.* Quæ lex in terminis est ad præsentem casum. Ut liceat huc applicare illud DD. qui dicunt, ubi legis casus est, ibi nullus amplius dubitationi locus relinquitur, sed cessant omnes cavillationes Gloss. *in l. ancillæ 12. C. d. furtis.* Cardinal. Tusch. *lit. L. conclus. 262. n. 4.*

Thes. VII. Nec obstant rationes pro vidua adductæ; Quod enim I. & II. attinet, non concedimus conditionem: *si vidua nupserit*, pro turpi habendam esse, cùm Imperator Justinianus illam verbis sat claris approbaverit *d. Nov. 22. cap. 43. & 44.* permissa itaque & licita erit de jure, tantum abest, ut sit contra bonos mores. Quin nec simpliciter interdictum est viduæ hâc conditione matrimonium, sed legatum & dispositio mariti saltem restricta ad casum viduitatis, cui renunciare potest, si ad secundas nuptias convolare velit, Carpzov. *part. 2. decis. 156. n. 18.* Franzkius *l. Resol. 15. per tot.* vide quæ supra ratione 1. & 2. decidendi proposuimus. Ad III. respondetur; Sicuti non semper ea quam putamus ratio legis fuit; ita non tam ea ipsa, quàm sensus & dispositio legis attendenda Bald. *lib. 3. Consil. 366. n. 3.* Præterea ratio, cur Justinian. *Nov. 22.* jura hæc antiquiora reformaverit, non sola est odium secundarum nuptiarum, quia sic

etiam locum haberet d. Novella si ab extraneo non marito hæc conditio adposita fuerit; id quod tamen longè lateque refellit D. Franzk *d. l. n. 31. seqq.* ad IV. non statim, quando unus vel alter Scriptor de non observantia Legis aut alterius juris quid profert, in judicando id attendendũ est, cùm pro firmitate & observantia præsumatur. Sicut igitur apud nos mutatio hujus juris probari nequit, ut supra ratione decid. 2. diximus; Ita nec quæ Burdegalæ pronunciata sunt speciali forsan ratione introductæ consvetudinis, ad nos ligandos est trahendum. Opponimus igitur authoritati Christinæ; ex veteribus Ictis Salycet. *ad Authent. cui relictum C. d. interdict. viduit.* inter Neoteric. autem laudantur Franzk. *d. lib. 1. resolut. 15.* Carpzov. *d. l.* qui in specie ita sententionatum fuisse testatur. Rittershusius etiam non de hodierna observantia, aut jure novissimo, sed de jure ff. & C. antiquiore loquitur, cùm *l. 63. & 74. de condit. & demonstr. l. 2. l. 3. C. d. indict. viduit.* alleget. Ast intelligendi sunt DD. secundùm jura quæ allegant Frider. Pruckman *1. consil. 2. n. 157.* Wesenbec. 1. *consil. 25. n. 7.* ad V. Cautio super re debita debitum non constituit, sed securum saltem facit; Securitatem illam si Creditor non curat, & contentus est obligatione rei in se, non proinde etiam debitum evanescit, imò potest cautio à testatore remitti, salva manente obligatione restituendi juxta *d. Novell.* 22. *c. 43. & 44.* Præterea filii in præsenti casu heredes instituti impuberes adhuc erant, quibus cautio non exacta nocere non poterat. Ad VI. Resp. in eo casu, quo testator maritus uxori legavit centum: *Si castè vixerit,* Icti citati putant deberi legatum, quamvis secundò nubát mulier, non quòd hîc conditio viduitatis remittatur, sed quoniam dubium erat, num per hanc dispositionem testator maritus voluerit prohibere secundas nuptias: Ergò differt ille à nostro casu cùm in hoc dubitatio nulla de mente disponentis sit: Imò quod magis est, etiam in casu, ubi dispositum saltim: Si castè vixerit, secundò nubentē legatum amittere alii purè statuunt. Bald. *in l. si res uxoris C. d. donat. inter. viv. & uxor.* Gvaldens. *d. arte testandi tit. 6. caut. 39. n. 4.* Bermond. *d. publ. concubin. col. 193.* Alii verò iique

pro-

probatissimi distinctione has contrarias opiniones ita concilliant, quòd si hæc conditio: si castè vixerit, adjecta sit à marito vel ab aliqvo filio legatum non deberi, cum præsumatur disponens prohibuisse secundas nuptias, secus si ab extraneo, Covarruv. *in 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 5.* Dec. *in l. si certis annis C. d. action.* Tiraquell. *d. jur. primagenit. qv. 69. n. 5.* rationem vide apud Covarruv. *d. l.* & talem tanquam communem opinionem approbat Cævall. *commun. opinion. contr. commun.*

THES. VIII. Proximo casui affinis est sequens; *Otto Christoph. à K.* anno 1626. testamentum solenne condidit in scriptis, in quo uxorem suam *Beatam à H.* in casu, quando liberos cum ipsâ procreatos non relicturus sit, heredem in universa bona instituit, ita tamen, ut si vidua ad secundas nuptias transvolaret, dispositio facta nullum habitura sit effectum, & pactis duntaxat dotalibus stari debeat. Idem *Otto Christ. Otto à K.* in anno 1640. Codicillos fecit, in quibus prædictum Testamentum in omnibus punctis & clausulis, in primis quoad heredis institutionem, repetiit & confirmavit, hoc modo: Daß nemlich seine hertzliebe Haußfrau seine universal instituirte Erben seyn uñverbleibẽ solte / doch mit dem Bedinge / daß wenn sie nach Gottes Väterlichen Willen diese Welt gesegnen würde / alsdenn alles was von Ihm *O. C. a K.* herrührte und uf sie durch gemeldtes Testament kommen / vorhanden und übrig seyn würde / in 3. gleiche Theile gesondert / und darvon 2. Theile aus des Testatoris Bruders Hansen Wilhelms *v. K.* seel. Tochter / das dritte Theil aber uf seiner Frauen nechste Anverwandt *H. v. W.* Tochter Erb- und eigenthümlich kommen und fallen solte rc. Testatore O. C. à K. anno 1641. mortuo, Ejus vidua ex testamento prædicto hereditatem mariti defuncti adiit, eamque ad mortem usque possedit. Ipsa verò triennio fermè post obitum mariti anus nupsit denuò anno 1644. quo cum marito ad annum 1648. vixit. Stante hoc Secundo matrimonio *Beata* ultimam voluntatem declaravit, in ea non solùm de propriis bonis, sed de nonnullis etiam rebus ad prioris mariti hereditatem pertinentibus disposuit. Quæsitum fuit; an *Beata* de bonis per testamentum mariti

delatis

latis quicquam disponere potuerit? Resp. Quoniam in anno *1626.* condito testamento conditio institutionis expressè inserta est, ut quando Testatoris vidua *prout commodum fuerit* ihrer Gelegenheit nach/ ad secundas nuptias convolaverit, dispositio nulla & pro non facta debeat æstimari; Casus verò acciderit, quòd renupserit, rem ad causam intestati venisse & substitutionem in Codicillis factam evanuisse, nec Testatoris viduæ de defuncti bonis quicquam disponere potuisse, æstimandum est; Quia Imperator Justinianus in *Novell 22. c. 44.* clare sanxit: Quod conditio viduitatis à testatore seu institutioni heredis seu legatis, fidei commissisque adscripta nullo modo remitti debeat, atque adeo vidua vel viduus intra annum relicti petitionem non aliter habeat, quàm si conditionem sacerdotio vel ingessu in monasterium expleverit, vel post annum Mutianam conditionem, in casum nuptiarum de eo quod relictum est cum fructibus restituendo præsterit, vid. D. Franzk. *lib. 1, var. resol. 15. n. 20. & seqq.* Nec obstat, quòd à W. filiæ objiciatur in Codicillis prædictæ conditionis non fieri mentionem, sed conjugem Testatoris purè esse institutam. Respondendum enim est, Codicillos ratione institutionis factæ se referre ad Testamentum, illudque in omnibus punctis & clausulis confirmari, ut itaque conditio illa in testamento adjecta, etiam in Codicillis repetita censeri debeat, cum quicquid inest relato; id etiam referenti inesse censeatur *l. ait Prator 1. si judex ff. d. re judicat. l. asse toto ff. d. heredib. institut.* imo juris est decantatissimi, quod Codicillis hereditas directò nec dari nec adimi possit, *l. 76. ff. ad SC Trebell.* daretur enim hoc casu hereditas in Codicillis directò, si conditio in testamento adjecta hîc non censeretur repetita Bocer. *class. disp. 6. n. 11.* Institutione itaque heredis ita corruente, etim substitutio fidei commissaria subsistere nequit *l. ex pupillari 44. ff. d. vulg. & pupill. substitut. l. sed si plures 10. §. 4. eod.* Neque id, quod de legatis & fideicommissis ex testamento propter causam præteritionis liberorum nullo nihilominus solvendis, in *Novell. 115. c. 3. §. fin.* specialiter constitutum est, ad hunc casum, ubi institutio ob non impletam ei adjectam

conditionem resolvitur utpote planè diversum extendendum videtur, specialis enim ratio illius juris singularis constituendi illa fuit: Quod cum propositum fuerit Justiniano contumeliam exheredationis minuere liberis, & quantum fieri potuit auferre, hunc autem scopum suum solâ institutione rescissâ assecutus sit, nihil necesse fuerit ultra institutionem heredis aliquid præterea ex testamento rejicere aut evertere, ut docet Rittershus. *in comment. ad Nov. part. 6. c. 3. n. 27.* quæ ratio hîc omnino cessat, utpote cum in hoc casu Conjugis proximas adgnatas non aliter per fidei commissum conjugi substituisse testator censeri debeat, quàm sub conditione institutioni uxoris adjecta, si nimirum illa ad secundas nuptias non convolarit, uti colligere licet ex verbis Codicilli: daß solch Testament in allen Puncten und Clausulen/ sonderlich so viel die ErbEinsetzung betrifft nachmahls krafftig bleiben solle. Item, daß wenn seine Haußfrau diese Welt gesegnen würde/ alsdenn was von ihme Testatore herrührig und (NB) uf seine Haußfrau durch gemeldtes Testament erblich kommen/ in drey gleiche Theile gesetzet werden solte &c. Atque sic in præsenti casu ob defectum prædictæ conditionis præmemoratam constitutionē & fidei commissariam substitutionem infirmatam esse remque ad causam intestati venisse responderunt Dnn. ICti Helmstadienses anno 1648. d. 29. Decembr. prout speciem facti una cum Responso nobis pro suâ qua pollet humanitate gratificandiq; promtitudine communicavit Nobilissimus ICtus Dn. Henr. Balth. Roth. Antecessor hujus Salanæ gravissimus; ita quod se habet: Alldieweil Otto Christoff von K. seine seelige Haußfrau Beaten von H. in seinen Testament, so er in anno 1626. zu einer universal Erben eingesetzet / iedoch mit dem Beding/ wenn sie zur andern Ehe nicht schreiten werde; Ob denn wohl der v K. hernacher in einem Codicill seiner Haußfrauen auf ihren Todesfall gewisse Personē substituiret/ Dieweil aber gemeldter Fraue beliebet zur andern Ehe zugreiffen/ uñ also gemeldtes Geding nicht erfüllet/ So hat sie vor Ihres Ehe Junckern seel. universal Erbiñe nicht gehalten / noch durch selbiges Codicill das Testament auffgehoben

hoben

hoben werden können/sondern ist dessen Verlassenschaff auf seine heredes ab intestato verstallte davon oftgemeldte Frau zu testiren oder etwas zuvermachen nicht befugt gewesen. V. R. W.

CAPUT III

PERPENDIT
ODIUM VIDUÆ INTRA ANNUM LUCTUS RENUBENTIS.

SUMMARIA.

Th. I. *Vidua maritum lugere debet. Properatio nimia ad secundas nuptias repugnat honestati publicæ, prohibita quoque est propter turbationem sanguinis. II. Olim erat annus X. hodie XII. mensium III. Quando vidua ad secundum matrimonium properat, cujus præsumendus sit partus. Habetur specialis quidam casus. Rationes, quod secundi mariti esse videatur, afferuntur. IV. Quod prioris mariti sit partus rationes discutiuntur. V. Respondetur ad rationes dubitandi VI. Referuntur pœnæ secundarum nuptiarum de jure civili. Fit remissio.*

THESES I.

NUptiæ cùm aliæ sint *festinatæ seu præmaturæ*, aliæ *maturæ*, D. Brunnem. *ad l. 1. d. secund. nupt. n. 1.* De illis ratione *viduæ* quid speciale est, quod nempe uxor LUGERE maritum debeat. Nempe ipsa die, quâ mortem mariti cognovit, sumere debet lugubria *l. 8. ff. d. his qui not. infamia.* Sunt autem lugubria in eâ lege vestes lugubres *l. 15. §. 17. ff. d. injur.* tristior habitus, insignia luctus *l. 15. C. ex quib. caus. infam.* tristia signa Ovid. 1. *Fastor.* insignia autem luctus hæc, abstinere à conviviis, ornamentis & alba veste, Paulus *1. sentent. 21. §. 3.* ut hinc colligas, mulieres in luctu aurum, purpuram, & monilia deposuisse, etiam vestem sumpsisse, adde Majoragium *3. miscellanior. 14.* Gothofred *ad. d. l. 8. de his qui not. infam.* properatio illa nimia ad secundas nuptias non solum honestati publicæ repugnat, Arnisæus *d. jure connub. cap. 5. sect. 4 n 8.* sed conjugali etiam amori graviter obstat, non enim sincero amore mulier virum videtur amplexa, cujus memoriam statim à morte ipsius deponit, Unde Pompejus ad uxorem Corneliam apud Lucanum:

Ulti-

---- -- Ultima debet
Esse fides lugere virum.

ut dicto Apuleji *lib. 8.* per immaturitatem nuptiarum manes acerbi mariti justâ indignatione suscitentur. Nec apud viros honestos & graves levitatis & inconstantiæ suspicionem evitabit, quæ mox ad alia vota properat, Rittershus *ad Novell. p. 4. c. 3. n. 7.* hinc Elector Saxoniæ *in ordinat. matrimonial. d. anno 1624. punct. 5.* §. was endlich *verb.* wenn denn solches der Erbarkeit und natürlichen Pflicht zuwieder / So wollen wir / daß hinfuhro eine Wittib ein gantzes Jahr ihre trauer Zeit/halten und für Ausgang desselben sich wieder zuverehlichen oder Hochzeit anzustellen nicht Macht haben solle &c, Imò Prætor *sanguinis turbationis* rationem non ipsius luctûs habuit, cum intra certum tempus nuptiis interdicit mulieribus. *l. 11. ff. d. his qui not. infam.* ibi: *qui solet elugeri propter turbationem sangvinis.* Igitur & eorum qui lugentur & qui lugeri non possunt uxores prohibentur intra tempus luctus nubere. Gothofr. *ad. d. l.* propter seminis turbationem Harmenopulus *4. tit. 6.* §. *62.* & liberorum incertitudinem *l. 53. circ. fin. C. d. Epicop. & Clericis.* ibi: *non audente muliere ante anni lapsum in aliud respicere matrimonium propter generationem (aut seminis) incertitudinem,* ne proles sit incerta *l. consensu 8.* §. *hæc nisi 4. C. d. repud.* ibi: *nubendi post annum ei (ne quis de prole dubitet) permittimus facultatem.* Nam si statim nubere possit, & intra menses aliquot postea pariat, proles incerta est & ignoratur, an sit defuncti vel alterius *Nov. 39. c. 2. l. 4. C. d. SC. Trebell.* vid. in th. sequenti 3. elegantem Casum.

Thes. II. *Olim* annus lugendi mariti erat *X. mensium* veluti Plutarchus *in Numa* habet: *Mulieres à morte maritorum decem menses Viduæ permanebant. Quod si quæ intra decimum mensem nupsisset, eam leges Numæ vaccam prægnantem immolare jubebant,* add: *l. 2. C. d. secund. nupt.* nec est, quo quis dicat anni mentionem facere Senecam *epist: 64. & lib. 2. d. consolat. ad. Albin. c. 15.* Apulej. *lib. 8.* Sidonium *4. epistol.* iis enim in locis annus sumsitur pro X. mensibus & Ovid: 1. *Fastorum* totidē menses ponit:

Quod

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere Conjugis uxor,
Sustinet in viduâ tristia signa Domo.

Hodie verò annus luctûs continet XII. menses de jure civili *l. 2. C. d. Secund. nupt.* uti ex Constitutione antea citatâ Electorali Saxonica constat. Cum tamẽ præfinitio temporis sit legis positivæ, hinc augeri spatium ejus & minui potest. Sic Constitutione Servestara *d. 25. Jun.* anno 1608. publicata IX menses mulieri sunt præstituti, ac præfiniti, ut secundis nuptiis abstineat mortuo marito, verba Constitutionis sunt: Neben dem so wollen wir auch dieser Confusion und Unordnung aus gnugsamen und erheblichen Bewegungen vorgewehrt und abgeholffen haben / Als da erledigte Personen der öffentl. Erbarkeit / allen rechtmässigen Gesetzen und Statuten zu wieder / bald nach Absterben ihrer Ehgatten / gantz liederlicher / unchristlicher und unbesonnener weise / ja offt gar zu zeitlich wieder in Ehestand zu eilen / ad secunda vota zu schreiten (aber dieses bey dem weiblichen Geschlechte zuweilen sehr unrichtig und gefehrlich) sich unterfangen; Derowegen so sol hinführo ohne unsere sonderbare Nachlassung den Wittben beyläuffig vor Ablauff eines halben Jahres / und einer Wittwen vor dreyen viertel Jahren / zuverloben / und den Wittwenstuel zuverrücken nicht nachgehenget noch verstattet werden.

Thes. III. Dictum est *thes. I.* prohibitionis causam, quare Prætor annum luctus complecti voluerit, non minimam esse evitationem confusionis sanguinis. Ubi Q. quid si nimis testinatum fuerit ad secundas nuptias, & dubitetur, cujus proles sit, primi an secundi mariti, quid respondendum? Casus est. *Lucius* cum *Martha* 14. hebdomadas in matrimonio vivens, d. 8. Octobr. anno 1676. in acie occubuit. Vidua dixit se esse gravidam. Hanc ambit *Mevius*; cui tamen qualitas mulieris manifestatur, rogaturque ut consummationem matrimonii, donec pepererit, differat. Hortatu tamen & mandato Ducis bellici nuptias secundas paulò post obitum cum Mevio init. *Die 31. Maji, 1677.* filiolus nascitur. *Lucii*

Paren-

Parentes filiolum, tanquam ex posteriori matrimonio natum pro legitimo & ordinario novimestri partu recusant agnoscere. Quæsitum fuit, quid juris? Et quamvis Parentes Lucii asserere possint, I. quod pater sit, quem nuptiæ monstrant *l. 6. ff. d. his qui sui vel alien. jur* & natus ex alicujus uxore præsumatur ejusviri esse filius, cujus est uxor, Paul. d. castr. *consil. 115. col. 3.* neq; II. obstet confessio Martiæ, quòd se gravidam ex Lucio ex eo filium procreatum dixerit, fides enim ipsi haud habenda est Alciat. *d. præsumt. n. 3.* Abbas *in c. officii n. 3.* (ubi dicit communem) *d. pæn. & remiss. & c. accedens n. 4. d. purgat. canon.* Gloss & *DD. in l. si. posth. §. fin. d. lib. & posth.* quoniam singulare matris versatur commodum ob spem successionis in casum mortis, ut causa filii quodammodo Matris propria videatur *arg. l. 1. §. in propria 11. ff. quand. appell.* *III.* porro obstare videtur, quod tempus partus editi collatum licet cum tempore conceptionis conveniat, possit tamen esse partus septimestris, quales partus sæpè nascuntur, cum septimo mense perfectus & maturus partus possit nasci *l. 12. ff. d. stat. hom.* & ita natum legitimum esse, communis hodie est sententia *arg. l. 3. §. ult. d. suis & legit.* D. Richter *decis. 80. n. 24.* quoniam itaque possit esse partus mariti Secundi in tali casu, ubi dubium est, an filius natus prioris sit an posterioris mariti, decidit esse Secundi mariti, in cujus domo filius natus est; expresse & indistinctè dicit Bald. *in l. si mater. n. C. d. suis & legit. hered. & in l. Gallus in pr. ff. d. liber. & posth. instit.* & Baldum sequi videtur in terminis ferè H. de Cevallos *comm. opinion. contra comm. quest. 896. n. 9. & seq.* ex jam supra allegata causa, cum præsumtio sit pro præsenti matrimonio, *d. l. filiumo. d. his qui sunt sui vel alt. jur. l. si quis. 9. §. hic subjungi verb. hoc venire posse proscripsere debuit ff. locat. l. si vicinis 9. C. d. nupt.* & in quasi possessione matrimonii videtur esse secundus vir, quare in dubio potius filium esse ejusdem respondendum, uti in simili vid. Boer. *decis. 299. n. 11.* Accedit. IV. quod *Martha* ob sanguinis confusionem marito â secundis nuptiis ad X. menses aut donec peperisset, debuisset abstinere, quod cum non fecerit & contra leges peccaverit, frustra nunc eam

earum auxilium implorare videtur *l. auxilium 37. §. 1. verſ. in delictis ff. d. minor. l. ſancimus 15. C. d. judic.*

Thes. IV. *Hiſce* tamen *non obſtantibus* ſtatuendum eſt, infantem d. 31. Maj. anno 1677. in lucem editum, ex *Lucio* & *Martha* natum eſſe, atque propterea a ſucceſſione Parentum Lucii non eſſe excludendum, quia I. ordinarius naturæ curſus eſt fœminam per IX. menſes uterum geſtare, donec pariat, Eſdr. *lib. 4. c. 4. & c. 16.* Jacob Concennat. *quæſt. jur. ſing. l. 2. qu. 9. n. 6.* quando autem mulier ante vel poſt præfatum tempus parit, irregulare eſt ſeu extraordinarium Zachias *qu. med. legal. 1. tit. 2. qu. 3. per tot.* Jam verò omnes actus naturales & quos natura operatur, præſumuntur in dubio fieri ordinario & regulari modo & viâ, & ſecundùm ordinarium & conſvetum curſum vid. Regn. Sixtin. *conſil. Marpurg. 10. n. 41. vol. 1.* & ubi ad ordinarium quid referri poteſt, aut illud ſufficit, non debet referri ad extraordinarium, vel dari remedium extra ordinem *arg. l. in cauſæ. 13. pr. ff. d. minor.* Jaſon *in l. 1. §. 1. n. 11. ff. d. oper. nov. nunc.* Schmid. *conſil. Argentor. 1. c. 67. n. 1.* pro hoc ordinario igitur & regulari ſemper præſumitur, ſicut pro regula *l. ſi ab ea parte 5. ff. d. probat.* & ſecundùm eam judicandum, res æſtimandæ, actus agentium reprobandi, computationesque faciendæ, niſi probetur contrarium, quod ei incumbit, qui ſe in irregulari ſundat Bald. *in cap. 1. de alien. judic. mut. cauſ. fact.* Panſchman. *2. pract. quæſt. 17. n. 45.* potior namque eſt illius cauſa, qui regulare pro ſe habet *Gloſs. in rubr. d. R. I. in 6.* Salycet *in l. ſi fundum in fin. C. qui potior. in pignor.* Regn. Sixtin. *2. conſil. Marpurg. 14. n. 137.* Stante ergo hoc principio, ſi tempus IX. menſium conſvetum conceptionis computatur, in finem Auguſti 1676 ſt. nov. & ſic notoriè in tempus prioris matrimonii rejicietur, quoniam Lucius 5. vel 6. ſeptimanis poſt in conflictu vitam finiit. Ex quo inferre licet, infantem huncce ex priori potiùs quàm ſecundo matrimonio natum eſſe; Niſi Lucii Parentes contrarium & irregulare probare velint. Interim verò non peccat, qui in obſcuris & dubiis magis ad ordinarium quàm extraordinariam & irregulare reſpicit, Robert à Vall. *conſil. 77. n. 53.* Menoch. *conſ. 2. n. 134.* addatur Paul. Zachias

quæst. medic. legal. 1. *tit.* 2. *qu.* 1. Arnisæ *d. part. human. legit. termin.* & licet forsitan nascatur partus in septimo mense, non tamen fit â natura & intentione ejusdem, sed ex accidenti; ea autem quæ taliter fiunt, nec attendi, nec in aliis tanquam æquè regularia præsumi debent, ipsis legibus id svadentibus *l. naturalem* §. *apium ff. d. acqu. rer. dom. l. item veniunt* §. *cùm prædiximus* hinc sequitur II. quòd pro primo matrimonio filium ex Lucio potiùs quàm ex Cajo esse natum, pronunciandum sit, id quod Icti & nonnulli statuunt locum hæc habere in viduâ post fata mariti, quòd scil. qui nascantur ab ipsa intra 9. menses liberi præsumantur ex illo ipso priori matrimonio procreati Anton. Gabriel *commun. conclus.* 1. *tit. d. probat. Concl.* 14. *subn.* 5. *verb.* 5. nec minimum III. conducit assertio matris, quæ statim post mortem prioris mariti se gravidum dixit; unde Icti volunt, etiam eo in casu, ubi vidua post duos dies â morte mariti necessitate forsan urgente ad secundas nuptias migravit, & quæritur, an filius post IX. menses natus sit primi, an secundi mariti, non esse modicam præsumtionem matris assertionem. Sfortia *consil.* 28. *n.* 71. Grammat. *cons.* 154. *n.* 5. Afflict. *decis.* 336. Alciat. *d. præsumt. reg.* 3. *præsumt.* 37. *n.* 15. & stari omninò tali assertioni deducit Papon 22. *arrest.* 9. *n.* 16. inprimis si fœmina mediante juramento confessionem omnis suspicionis evitandæ ergò firmaret. IV. Quamvis contra datam assertionem matris Lucii Parentes secundas nuptias tanquam immaturas malè ferentes unum vel alterum excipiant, inprimis (1) ei non esse adhibendam fidem, propterea quod Lucius & Martha d. 8. octobr. 1676. adhuc per 14. hebdomadas cohabitaverint, & cùm natus d. 31. Maj. 1677. in lucem sit editus, sequeretur, quòd â tempore conhabitationis ad tempus partûs aut XI. menses completi communerarentur, aut concederetur, in prioribus duobus mensibus Matrem fuisse sterilem; Si prius, major oriretur irregularitas, & potiùs pro septimestri quàm supra XI. menses natus habendus esset pro legitimo Paul. Zach. *quæst. medic. legal.* 1. *tit.* 2. *qu.* 6. Si posterius, favor præsumtionis cessaret; licet enim filius præsumatur natus ex marito, quantumvis uxor cum alio postea rem habuerit, fallit tamen id, nec præsumitur filiatio eo casu, ubi

ubi mulier sterilis fuit cum marito vid. Aretin. & Felin. *in c. per tuas col.1. de probation.* (2) debuisset denunciare mater, ubi gravidã se senserit ex priori marito hujus Parentibus intra 30. dies juxta S.C. ad hunc effectum, ut mulieris partum agnoscerent *l. 1. §. 1. ff. d. agnosc. & alend. liber.* cujus denunciationis omissio id operatur, ne cogantur partum agnoscere. Resp. Quod (1) concernit, posterius, sc. sterilem fuisse matrem statuendum erit, nec præsumtionis favor cessat, cùm præsumatur filius natus ex marito, cum Cujus uxore postea alius rem habuit, quamvis mulier per XV. annos fuerit sterilis. Ruin. *consil. 53. vol. 5.* Abbas *in cap. per tuas d. probat.* Alciat. *d. præsumt. in 3. reg. præs. 37.* Hippol. *in l. 1. §. ad quæstion. n. 20. ff. d. quæstion.* & loquuntur DD. supra citati de longâ & diuturnâ sterilitate. Ad (2) respondet Ulpian. *in d. l. 1. §. 8. ff. d. agnosc. & alend. lib.* ibi: *quin imo & si in totum omiserit denunciationem, Julianus ait, nihil hoc nocere ei, quod editur.* V. sententiam nostram confirmat favor filii nati; Præsumtio enim illa, *quod pater sit, licet postea mater cum aliorem habuerit*, aliter locum non invenit, quàm in favorem filii, nec locum habet in præjudicium ipsius, secundùm ea, quæ post Gozand. *in consil. 13. n. 48. vers. præterea* tradit Anton. Gabriel *commun. conclus. lib. 1. d. præsumt. conclus. 14.* atque adeo favor ipsius consideratur, ut dicant, filium in dubio posse eligere hereditatem, quam voluerit, patris primi vel secundi matrimonii Alberic. *in rubr. ad SC. Orphitian. in quæst. fin.* ac licet VI. nonnulli DD. modò in hanc, modò in illam inclinent sententiam teste Bartol. *ad L. Gallus pr. n. 12.* qui diversorum allegat opiniones, quorum quidam similitudinem natorum cum parente, quidam in cujus ædibus natus sit partus judicari volunt; ut ita loquantur isti de casu magis dubio quando scil. vidua post dies duos à morte primi mariti ad secundas nuptias migravit, & in nono mense peperit, confer Cævall. *comm. opin. contr. commun. 3. quæst. fin. rubric. & per tot.* VII. Res hæcce Medicos decisa est, quod cùm mulier ab obitu mariti per mensem aut paulò majorem distantiam nupserit, & in septimi initio à matrimoniocontracto filium pepererit, prioris mariti esse partum, vid. Paul. Zach. *quæst. medic. legal. lib. 1. tit. 5. qu. 5. sub n. 14.* post Marescot, quem ibi allegat.

D 2 Th.

Thes. V. *Nec quicquam faciunt* rationes Th. 2. in contrarium adductæ; ad I. videantur in præcedenti thesi in decid. ration. 2. & 4. ad II. resp. Eos qui matris assertioni fidem denegant, utplurimùm loqui de tali casu quando mulier dicit filium natum esse alterius cum quo rem habuit, ut adultera, cùm potius præsumtio sit pro matrimonio, si maritus habuit accessum ad uxorem; quod non est contra præmemoratam sententiam, sed matris assertio concordat præsumtioni pro primo matrimonio. Imò matris asserto esse credendum, inprimis quando Mater honesta matrana est, & bonæ existimationis, videre est ex his quæ latè refert & prolixius deducit Boer. *decis. 299. n. 4. per tot.* DD. *ad d. L. Gallus* cui adminiculatur testimonium secundi mariti, filium non esse ex illo secundo matrimonio confirmantis, quo casu, matris assertioni omnino fidendum est, juxta ea, quæ tradunt Bald. *in l. filium definimus. in 1. lect. n. 11. vers. sed pone quod pater ff. d. his qui sui vel alien. jur.* Anchor. *consil. 225. col. pen. vers. super alia n. 6.* Alex. *cons. 88. n. 13. vers. præterea casum. vol. 7* Corn. *cons. 1. n. 22. vers. item concurrit. vol. 3.* neque matris testimonium ob conjunctionem reprobandum esse exinde patet, quia versamur in facto occulto, cujus notitiam nemo alius meliorem habere potest, quàm mater; Sita enim enim hæc res in arbitrio prudentis judicis Imol. *in cap. cùm oporteat. col. 2. vers. ubi autem. d. accusat.* Alex. *in can. consangvinei col. 1. vers. aut consangvinei producuntur. 3. qv. 5.* Ad III. respondetur per ea, quæ ratione 1. decidendi sunt dicta; quod partus 6. 7. 8. mensium rariùs & contra ordinariam naturæ viam accidat, raró autem contingentia in dubio non præsumi; ad quorum omnium confirmationem lubet adponere Henning. Arnisæi *disquis. de partûs humani legitimis terminis §. 30.* verba: *Sed sicut Nanorum & Gigantium statura humana quidem est, sed vitiosa: ita præcoces illi partus 6. 7. & 8. mensis, aut tardiores quàm ferat decimus, intra terminum quidem humani partus subsistunt, sed quia non obveniunt, NISI EX ENORMI CASU NATURÆ RARIUS ET NON SINE SPECIE ERRORIS ACCIDUNT.* Neque sequitur, in hac vel illa muliere accidit talis

lis casus, Ergò etiam in præsenti casu accidit, siquidem à particulari ad universale non valet consequentia. Ad IV. non præsumitur Martham ex levitate quadam ad secundas nuptias nimis festinasse, cùm ad specialem Ducis bellici jussum id fecerit, qui forsitan vidit, periculosum esse honestam matronam inter milites in viduali statu versari. Et ponamus Martham peccasse, id tamen partui necquicquam nocere potest, nec enim factum, delictum, aut calamitas matris potest nocere ei, qui in utero est *pr. vers. & econtrariò Instit. de Ingenuis*, cùm nasciturus in iis, quæ ad commodum ejusdem spectant, pro jam nato habeatur *l. 7. l. 26. ff. d. stat. hom.* atque sic pro prioris mariti partu superiori anno pronunciarunt almæ hujus Salanæ ICti.

Thes. VI. Pœnæ viduæ intra annum luctus nubentis de jure civili variæ sunt. I. fit Infamis *l. 1. vers. qui eam. l. 11. ff. de his qui not. infam. l. 1. in pr. l. 2. C. d. secund. nupt. l. 4. C. in pr. ad SC. Tertull. Nov. 22. c.* 22. Petr. Gregor. *lib. 9. syntagm. c. 26. num. 48.* Colleg. Argentorat. *ad tit. ff. d. his qui not. infam.* II. Non potest mulier nubens intra annum luctûs agnatis vel cognatis suis succedere ultra tertium gradum *l. 1. C. d. secund. nupt.* III. Extraneus (per quem intelligitur omnis, excepto marito Joh. Sichard *ad l. 1. C. d. secund. nupt. n. 26.*) non potest hujusmodi mulierem instituere heredem aut ei fideicommissum relinquere, nec mortis causa donare *l. 1. C. d. sec. nupt.* quod ita donatum erit heredibus mulieris accrescet, vel scriptis heredibus; fiscus hujusmodi relicta non capit, ne videatur malos mores corrigere, ut ditescat; boni quippe Principes non quodvis lucrum ad mittunt *arg. l. ult ff. d. testam. l. pen. ff. de hered. instit.* IV. Non potest hujusmodi mulier ea retinere, quæ maritus ei propter nuptias donavit *l. 2. C. d. t. Nov. 22. c. 12. Nov. 39. c. 2. pr. verb. interim tamen.* Mæstertius *tr. d. secund. quæst. 12.* qui tamen sibi contrarius est *in seq. quæst. 16. n. 2.* Rittershus. *ad Nov. part. 4. c. 3. n. 8.* Quin & vestes lugubres ex hereditate ipsi datas perdit, quemadmodum etiam, si præmaturè nimis easdem deposuerit. Bald. *vol. 5. consil. 418.* Angel. *in l. decreto 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.* V. Non potest hujusmodi mulier secundo marito donare vel

 relin-

relinquere ultra tertiam partem bonorum suorum *l. 1. C. d. t.* cum alioquin possit mulier universa bona sua in dotem dare *l. 4. C. d. jur. dot.* quid obtineat in casu, ubi vidua liberos habet, & quantum secundo marito donare vel relinquere possit, vide Caput Sequens. Hodie quid usu servetur circa privationem prædictorum lucrorum, cujuscunque loci & regionis vel leges municipales vel consvetudines considerandas esse monet Rittershus. *ad Nov. d. t. n. 19.* & Idem *in tract. d. different. jur. civil. & canonic. lib. 2. cap. 5.* refert Statutum Noribergense, quo vidua intra trimestre proximum à morte prioris mariti matrimonium contrahens perdit omnia lucra, quæ aliàs ex ipsius substantia ad ipsam pervenissent. In Ducatu Wirtenbergico si mulier ante semestre tempus gravida ex defuncto viro, antequam pepererit, ad secundas nuptias transeat, ususfructu, qui ex jure Provinciali in bonis mariti defuncti competit, mulctatur Land-recht *part. 4. tit. 11. §.* hieneben. Cui odio addi potest VI. quòd hodie Vidua Pastoris & ministri Ecclesiæ intra annum luctûs nubens perdat sequentis anni salarium, h. e. quosvis reditus, sive in pecunia numerata, sive in frumento generis cujuscunque, sive in certis pensionibus aliisque fructibus consistant Carpz. *jurisprud. Consistorial. lib. 1. def. 185.* item nummos confessionarios, honoraria pro deductione funerum aut pro copulatione, item administratione Baptismi & similes vid. Carpzov. *d. l. def. 189. 190.* nec in ædibus parochialibus per annum commorari potest; rationes addit D. Stryke *dissert. de Anno Gratiæ cap. 8. n. 25.* quia (1) vidua vocari amplius nequit, quæ jam alteri marito nupta; Atqui viduis tantùm annus gratiæ concessus est. (2) quia provisione non opus habet, cui maritus novus jure Connubii prospicere tenetur (3) quia secundis nuptiis, præsertim intra annum luctus contractis, omnia privilegia & beneficia, occasione prioris mariti concessa expirant *l. 8. ff. d. Senator. l. 13. C. d. dignitat.* Alphonsus Villagut. *d. extension. privileg. n. 57.* (4) quòd viduæ imputari possit, quare à secundis nuptiis tamdiu non abstinuerit, donec annus gratiæ ad finem perductus, ut sic sua culpa hoc damnum ne quidem sentire

sentire intelligatur *l.203.ff.d.R.D.* Ita tamen, ne liberis præjudicetur, qui inperceptione anni gratiæ persistunt. Simili ferme modo Constitutio quædam Pomeranica prohibet viduabus secundas nuptias & deductionem in feuda prioris mariti, & secus factum coercet amissione anni Gratiæ, quo aliàs gaudent, vid. den Wollmischen Abschied *d. anno 1569.* §. befehlen und gebiethen auch hiermit abermahl alle Wittfrauen bey Verlust des Gnaden Jahres ohne der Lehensfolger und unser Vorwissen/ Willen und Erklärung in die Güter nicht zu freuen. Mevius *part. 2. dec. 22.* quam constitutionem etiam ad casum, ubi vidua post annum luctûs nubit alteri, & potius ad secundum hujus dissertationis caput referri posse existimamus. Ut autem prædictæ pœnæ locum habeant, requiritur, ut intra tempus luctûs matrimonium sit contractum, daß sie sich anderwerts verheurathet/und den Kirchgang gehalten/Wurtenb. Landrecht. *d.t.11.* §. hieneben/quia non nisi lata & impropria verborum significatione Sponsus & Sponsa Conjugum nomine veniunt *per l. oratio. ubi Bald.ff. d. Sponsalib.* & aliud est uxor, aliud Sponsa *l. 24. C. d. nupt. c.tertio loco.X.d.præsumt*: Ubi notanda venit quæstio: *Num pœnæ lege vel statuto comprehensæ cessent, quando conjux conjugi novas nuptias intra annum luctûs ultrò & consultò permiserit?* Negat. Cùm in nuptiis illis præmaturis Honestas & publica utilitas versatur, *per supra adducta*, nihil certè dispensatio seu consensus conjugis defuncti eo casu operabitur *per l. jus publ.38.ff. d. pact.* nec turpia & inhonesta reddet licita & honesta *l.54. l. 112. § ult. ff. d. legat. 1.* aut vim ac efficaciam legum post fata ejusdem inhibebit aut retardabit *l.55.ff. d.t.* ne publica coercitio privatâ pactione tollatur, ut loquitur JCtus Paulus *in l.5. in pr.ff. de pact. dot.* Valent. Forster. *d. successionib. ab intestat. lib. 7. cap. 13. n. 6* Rittershus. *in differ. Jur. Civil. & Can. lib. 2. cap. 6.* Freher. *d. fama lib. 3. c. 17. n. 17.* Neuenhan *d. jur. & privileg. viduit. membr. 3. sect. 4. lit. b.* An autem Sponsaliorum præmaturorum pœna sit, & an Odiæ prædicta essent vid. *Caput Ultimum.*

CAP.

CAPUT QVARTUM

TRUTINAT

ODIUM ERGA VIDUAM POST ANNUM LUCTUS NUBENTEM, QUANDO EX PRIORI MATRIMONIO LIBERI ADSUNT.

SUMMARIA

Th. I. *Desinit esse Tutrix. II. Educationem liberorum de jure civili amittit. III. Pro rebus mobilibus à defuncto marito perceptis & usufructuariè tantùm ad se delatis cautionem usufructuariam præstare tenetur. IV. Donationem liberis factam ob ingratitudinem, nisi tribus ex causis, revocare non potest V. Secundi mariti bona omnia pro rationibus, quas reddere debet mater tutrix, quæ ante secundas nuptias contractas rationes non reddiderat, tacitè obligata sunt.*

THES. I.



Ater vidua cùm tutrix esse possit, *si velit*, *per auth. mater & avia C. quand. mulier. tutel. offic. fungi poss.* gentium quodam veluti jure & consensu invaluit, ut mater secundò nubens à liberorum tutela sit arcenda. Sic Athenienses non concedebant, ut ea persona tutelam administraret, ad quam mortuis pupillis bona perventura essent, ex lege Solonis, teste Diog. Laert. *in vita Solonis.* Equidem de jure Svecio matri viduæ licet tutelam continuare post secundas nuptias, si idonea fuerit deprehensa, id tamen singulare est, nec aliter obtinet, quàm si pupillorum securitati satis sit prospectum, ut scil. non nisi cum voluntate & consilio agnatorum, & diviso prius patrimonio suo, tutelæ porrò præsit, teste Joh. Loccenio *Synops. jur. ad leg. Svecic. accommod. 4. diss. qu.* 5. In jure nostro civili *l. 2. C. quand. mulier. tutel. off.* cavetur inter alia, ut mater tutelam suscipiens secundis nuptiis renunciet juratò. Si ergò vidua ad secunda vota convolat, nec Magistratui denun-

denunciat animum sibi esse denuò nubendi, petitve liberis alios tutores, nec rationes reddit, mulier tutrix manere non potest *Nov. 94. c. 2. in fin.* Bartol. *in l. si quis. 11. ff. d. testam. tut.* non attento, quòd testamento tutrix data sit Mynsing. *cent. 3. observ. 83.* Græv. *lib. 2. concl. pract. 98. in coronid. num. 2.* etiamsi agnati fortè consentiant, propter legem vetantem *d. Nov. & Authent. matri & aviæ C. quand. mul.* Ant. Faber *in C. eod. def. 2.* & quia pupilli tunc periculo & damnis non unis sunt expositi, lex iis non uno modo cavet ac prospicit, punitque mulierem renunciationi contravenientem, etiamsi per momentum tutelam gesserit Sichard. *in Authent. Eisdem. C. d. secund. nupt. n. 3. vers. ergò.* Ratio autem Constitutionis videtur esse, quòd uti olim jusjurandum, ita nunc promissionem ad secundas nuptias transeundo mater violet, *Nov. 22. c. 40.* nec propter hoc quod Juramentum remissum, etiam pœna rejecta est, sed iisdem illis subjacet, quas, si juratò renunciasset, perferet, quod in judicio mentita sit, & propriæ confessioni ac depositioni secundas concupiscentias præposuerit, ut habent verba *Nov. 94. c. 4.* Præterea metus haud vanus est, quòd ipsi liberi, qui per ætatem seipsos defendere nequeunt, per factum matris indefensi constituantur, imò eorundem fortunæ callidè ita obscurentur, & ad secundum maritum, aut liberos ejus transferantur *d. Nov. 22. c. 40.* Sichard. *ad authent. eisdem. C. d. secund. nupt.* Quod ita ampliatur, ut vidua iterum facta resumere tutelam nequeat; jura enim semel extincta non reviviscunt *l. 2. §. 4. ff. d. capit. minut.* Menoch. *consil. 278. n. 8.* nec adhuc expiravit suspicionis causa, propter sobolem forsan ex posteriore marito procreatam; imò tanta mulieris levitas, & quidem juratò datæ fidei violatio, nihil nobis aliud metuere aut præsumere potiùs facit, quàm mox illam ad alia convolaturam esse vota conf. Christinæ. *vol. 3. decis. belg. 149. n. 5. & seq.* facit, quòd hæc privatio tutelæ pæna quædam sit, cujus gratiam facere & ream in tanta abominatione positam restituere non magis sit in arbitrio Magistratus, ac dimittere rursus tutorem sine juris authoritate; quem matre nuptias iterante ex præscripto legum ordinavit,

atque hanc litem ita decidisse Dominos Camerales scribit Mynsing. *lib. 3. observ. 83.* add. Hunn. *Encycloped. jur. lib. 1. tit. 11. c. 3. n. 6.* Eyben. *commentat. d. Tutel. fœmin. membr. 4. th. 10.* ita cum hoc odio secundarum nuptiarum conjunctus est favor liberorum, quorum conditio per futuras matris nuptias deterior fieri censetur.

Thes. II. Mortuo patre educationem liberorum spectare ad matrem docet *l. 1. C. ubi pupill. educar. deb.* & jura tantum effectui parentum in liberos tribuunt, ut & eundem alii amori intensissimo præferre haud dubitent *l. 8 §. fin. ff. quod met. caus.* imò matrem magis quàm patrem liberos suos amare expresse statuunt Petr. Gregor. *lib* 11. *syntagm. 7. n. 4. in fin.* rationem reddit Menand. *in sentent. Comic. cap. 24.* quòd suos esse liberos certò sciat, pater verò tantummodo putet secundùm *l. 5. ff. d. in jus voc.* Medici aliam suppeditant, quòd nempè fœtus plus à matre, quàm à patre suscipiat, Galen. cùm plus videatur mater contulisse in liberos, quàm pater; Hic quippe semen tantùm, mater & semen & sanguinem natis impendit. Quoniam verò dicto Poetæ animal varium ac mutabile semper est fæmina, & Ambros. *lib. 6. d. opere sex diorum* scribit: *Mutato concubitu parentes depravantur, prælatis filiis posterioris copulæ, neglectis autem his qui ex priore progeniti sunt.* Mater ex eo juris suspicionem incurrit, quando ad secunda vota transit & vitricum superinducit *l. 1. 6. ubi pupill. educ. deb. Nov. 22.* Id quod & in avia ac proavia obtinet, cùm viduæ ob novum amoris æstum, quem restringere non possunt, Kornman *d. jur. virgin. c. 62.* novis maritis non solùm res liberorum, sed & ipsam vitam addicere soleant *l. 22 §. servi etiam in fin. C. d. admin. tut. l. 12. in pr. vers. nec ad fragilitatem. C. qui potior in pignor.* & uti habet Homerus *lib. 6. Odyss.* cujus versus latine ex translatione Achillis Bochii Bononiensis *symb. 37.* refert Rittersh. *d. l. n. 4.*

Sed nosti qualis muliebri in pectore mens est:
Quæ cuicunque viro post nupserit, illius omni
Vult studio ditare domum, prorsusque juvare.
Non animo nati, sua pignora chara, priores,

Non

Non conjux dulci defunctus munere vitæ,
Versantur: sed cura novi subit una mariti.

Ut proinde tutoribus vel propinquis ad educandum liberi tradendi veniant Zobel *ad art. 23. lib. 1.* Schulthes *in addit. ad Modest. Pist. part. 1. qu. 27. n. 13.* Neuenhan *d. l. sect. 29. lit. C.* Num semper id procedat *vid. cap. ultimum.*

Thes. III. Binubos proprietatem lucrorum nuptialium, aliorumque bonorum morte conjugis titulo lucrativo ad se devolutorum amittere, servato solo eorundem usufructu, dicetur infra Capite VI. Hoc tamen singulare est in Vidua, quòd in rebus mobilibus (secus in immobilibus, in quibus non idem consumtionis periculum est Rittershus *ad d. Nov. n. 14.*) à defuncto marito perceptis, & usufructuariè tantùm ad se delatis, cautionem usufructuariam à liberis petitam præstare tenetur *hac Edictali 6. §. 1.* ibi: *Mobilium verò rerum, justis pretiis æstimatione habita per eos, quos utraque pars elegerit, arbitros judicaturos, interposito Sacramento, similis modo usumfructum habeat, si idoneam fidejussionem præbuerit, quod easdem res mobiles, vel earum pretium filiis & filiabus ex eodem matrimonio procreatis, vel post mortem eorum nepotibus & neptibus ex iisdem liberis procreatis, sive omnibus sive uno unave superstite mori contigerit, secundùm legum modum restituat. Nov. 2. cap. 4. vers. si autem. Nov. 22. cap. 45. §. Si verò.* Quid si mater nolit cavere? *Resp.* tum cavebunt liberi I. Se quotannis matri soluturos usuras trientes pecuniæ sive pretii, quo res illæ sunt æstimatæ. II. Se, si ante matrem moriantur, res illas, earum pretia, matri restituturos *l. 6. §. his illud C. secund. nupt.* Rittershus, *p. 4. c. 4. n. 16.* hæc obtinent in matre, quid de patre admittant leges vide Cap. V.

Thes. IV. Mater ob ingratitudinem, (quæ revocari facit beneficia & & privilegia *DD. ad l. fin. C. d. revoc. donat.* tollitque debitum naturæ & deterrimum vitium censetur, Harprecht. *ad §. 1. n. 142. Inst. d. injur.*) potest donationem liberis factam revocare, ita tamen ut concurrant specialia quædam, nempe: Si ad secundas nuptias non convolaverit; atque ea solummodò, quæ filius adhuc litis tempore possidet, quæ verò desiit possi-

dere, ut quæ vendidit, donavit &c. non possint revocari; & tandem mater habeat quidem realem actionem, sed à solo illo, cui donationem fecit, possit revocare, non ab ejus heredibus, ut nec heres matris *l. 7. C. d. revocand. donat. ibiq;* D. Bruneman. Ast in *Novell. 22. c. 35.* sublimitatur, quod etiam mater ad secunda transiens vota possit revocare donationem in filium factam in tribus casibus. I. Si filius vitæ matris insidietur. II. aut manus impias ipsi attulerit, III. aut totius substantiæ sive omnium bonorum jacturam moliatur. Hæ enim injuriæ tanti æstimantur, ut non attento secundarum nuptiarum odio etiam mater ob unam earum donationem revocare possit *Authent. quod mater. C. d. revoc. donat.* ibique Brunnem.

Thes. V. Quoniam mater tutelam liberorum suscipiens ad *inventarium* conficiendum adstricta est, ita ut non privati sed publici inventarii confectio matri imponatur *Nov. 94. in epil. ibique Gothofred.* quod adeo verum est, ut mater tutrix, quæ inventarii confectionem omisit, juratam bonorum designationem edere teneatur *arg. l. fin. §. licentia danda C. d. jur. deliber.* neque hoc detrahit quicquam reverentiæ matri debitæ; hæc enim quidem conservanda est, dum tamen nihil ab ipsa fiat in detrimentum liberorum *Nov. 155. c. 1. in fin.* Sequitur, quod ad secundas nuptias transiens ad rationes reddendas & reliqua solennia adstricta sit *Nov. 22. c. 14. in fin.* Alexander *consil. 110. n. 23. vol. 3.* Rittershus. *part. 8. Nov. cap. 7.* Quæ locum quoque habent in matre & avia tutricibus testamento datis *arg. d. Nov. 94. c. 1. in fin.* Montan. *d. tutel. c. 32. n. 26.* ut nec à marito remitti queant rationes, utpote introducta in liberorum pupillorem favorem *arg. l. 27. d. condit. instit.* Sin autem nuptias cum alio contrahit, nec ante consummationem reddit rationes vel reliqua non solvit, nec dum petiit tutorem & postmodùm quid deficiat, ut quid ob culpam præstandum veniat, non solùm *matris*, sed etiam *vitrici* bona pupillis pro omni damno pignoris nexu obligata sunt *l. 2. C. quand. mul. tutel. offic. fung. l. 6. C. in quib. caus. pign. vel hypoth.* Beuther. *d. jure prælat. cap. 59.* Didacus à Spino *in specul. testam. gl. 29. n. 70.* Berlich. *p. 1. concl. 67. n. 82.* Prukman. *ad l. 9. ff. d. stat. hom. part. 1. membr. 4. art. 11. n. 8. 9.* ratio juxta Brunneman.

ad

ad d. l. 6. esse videtur, quia novus maritus omnis culpæ expers haut æstimatur, qui viduam liberis ex gestione tutelæ obligatam in uxorem ducit, cùm plerumque hoc tendat in præjudicium liberorum, vid. Berlich. *d. l.* Unde Baldus ad *d. l.* 2. monet, cavere sibi debere eum, qui viduam ducit, ne alieno periculo se exponat, D. Præses *dissertat. d. Friguseulo cap. 3. thes. 16.*

CAPUT QVINTUM

SISTIT

ODIUM ERGA VIDUUM SECUNDAS NUPTIAS CONTRAHENTEM.

SUMMARIA

Th. I. *Quamvis mariti uxores non teneantur lugere, ipsis tamen ad secundas nuptias non nimis properandum est. II. Pater, licet inventarium non conficiat, nec satisdet. Secundò tamen nubens designare bona liberorum & securitatem per satistationem tenetur præstare III. Certis casibus cautionem præstani pro conservatione adventitiorum, & pro legato vel fideicommisso ab alio liberis relicto.*

THES. I.



TAntaodia in legibus non reperiuntur adversus Viduum secundò nubentem, quanta erga Viduam. Est tamen unum vel alterum peculiare. Sic nullæ quidem lege compelluntur mariti lugere uxores, ut proinde absque nota infamiæ statim matrimonium contrahere ipsis licitum esse quis dixerit, non enim metuenda est feminis confusio, ut in muliere, Hannenopulus *lib. 4. tit. 7.* Ast non omne, quod licet, statim honestum est; ac contra honestatem videtur esse, si viduus mox aliam ducat. Nec enim, inquit Cypræus *d. sponsal. c. 13. §. 96.* maritali & sincero amore vir eam videtur amplexus, cujus memoriam statim à morte ipsius deponit, nec absque publico scandalo in rogo prioris conjugis novæ maritales accenduntur faces. De jure Saxonico Electorali certum tempus lugendi præfinitum est, semestre scilicet

 spa-

ſpatium Ordinat. Matrimon. de an. 1624. punct. 5. §. Was endlichen Wittber und Wittben anbelanget / ſo anderweit zur Ehe ſchreiten wollen / erfahren wir / daß etliche ihrer abgeſtorbenen Ehegatten allzuzeitlich vergeſſen / und mit Aergernuß wiederum zum Ehſtande eilen. junct. verb. So wollen wir/ daß hinfuhro ein Wittber zum wenigſten ein halbes Jahr die Trauerzeit halte/ und für Ausgang deſſelben ſich wieder zuverehlichen / oder ſolche Zeit anzuſtellen nicht Macht haben ſol. Sin autem contraveniat viduus, nec tamdiu expectet, pœna arbitraria eſt, prout Conſiſtorium Supremum reſcripſiſſe refert Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſtorial. def.* 160. verbis: Und wird hierüber/ daß Er ſo bald nach ſeines vorigen Weibes Tode an unterſchiedlichen Orten freyens halben ſich eingelaſſen / von der Weltlichen Obrigkeit mit willkührlicher Gefängnüs Straffe andern zum Abſcheu billich belegt/ V. R. W.

Theſ. II. Quamvis pater liberos in poteſtate ſua habens durante adminiſtratione adventitiorum legitima conficere inventarium non teneatur, eumque legum ſanctitas à ratiociniis excuſet *l. fin. §. 4. in fin. C. d. bon. quæ lib.* & Legumlatores ſemper pro patre præſumant, ut quicquid circa res à liberisfamilias acquiſitas faciat, perdat an abutatur, cenſuræ non ſubjiciant, Cui ſententiæ adſtipulantur Ludwel. *in tract. d. ult. vol. ad l. 6. §. 1 & 2. C. d. bon. quæ lib.* Mynſinger. *cent. 2. obſ. 93.* Joh. à Sande *deciſ. Friſicar. lib. 2. tit. 7. def. 2* Hering. *d. fidejuſſor. cap. 6. n. 78.* D. Richter *p. 1. deciſ. 58. n. 26.* Carpz. *p. 2. conſt. 10. def. 9.* Paul. Montan. *de jure tutel. cap* 32. *n.* 89. *& ſeqq.* & in viridi obſervantia hodie eſt, teſte Finckelthus. *obſerv. 76. n. 1. & ſeqq.* Nihilominus tamen in caſu Secundarum nuptiarum à patre contractarum vis præſumtionis pro patre jam militantis valdè imminui videtur *l. fin. §. ſin autem & §. in ſupra C. d. bon. quæ liber.* cùm ſecundæ nuptiæ patrum quoque animos alterare non rarò *l. 4. ff. d. in off. teſt.* ſoleant, Mevius *ad Jus Lubec. p. 2. tit. 2. art. 21. n. 13.* nec infrequens ſit, patres novercalibus delinimentis quandoque infatuari, ut ſæpiſſimè malignum contra ſangvinem ſuum inferant judicium legibus prohibitum & annullatum *l. 10. verſ. ſed quemadmodum*

C. d. sec. nupt. ut etiam remissio inventarii solennis cesset, ac Pater ejusmodi inventarium conficere obstrictus sit, Fuchs. *d. inventar. cap. 3. n. 4.* Mevius *ad Jus Lubecens. p. 2. tit. 2. art. 21. n. 13.* Paul. Christinæus *vol. 1. decis. belgic.* 101. *n. 5. & seq.* ubi & hoc addit, quod pater eo casu teneatur rationem reddere, administrationem verò legitimam non amittat, Gutierez *d. tut. & cur. p. 1. c. 9. n.* 22. Goedd. *vol.* 1. *Consil. Marpurg.* 27. *num.* 175. Cujac. *ad C. d. bon. matern. n.* 11. quod tamen restringendum est ad ipsas res filii eorumque substantiam, non autem ad fructus, Pinell. *ad l. fin. C. d. bon. qui lib. n.* 37. Boer. *decis.* 61. *n.* 19. hi enim pleno jure ad patrem spectant, ita ut de iis ad lubitum disponere possit *l. 6. §. 2. C. d. bon. qualib.* Quid? *si Pater omittat confectionem Inventarii, num propterea usufructu privetur & administratione adventitiorum? Negat.* Non enim cum Patre, pro quo tamen adhuc, contractis licet secundis nuptias, in hoc casu piè præsumitur, tam rigorosè est procedendum, nec ob præsumtionem dolosæ administrationis remotio locum habet, sed oportet, ut actualis dolosa administratio & dissipatio bonorum facta sit, & probetur; D. Fromman *dissert. d. administrat. adventit. legitim. th.* 104. quâ factâ ipsi administrationi interdicitur Modest. Pistor. *p. 2. qu. 33. n. 5.*

Thes. III. Pro conservatione quoque juris & bonorum horundem ad liberos primi thori pertinentium, Pater certis casibus *Satisdationem* præstat, ejusque bona pro maternis & materni generis rebus hypothecæ sunt ex lege subjecta, Mevius *ad Jus Lubecens. d. l. n. 14.* vid. tamen Pinellum *in tract. d. bon. matern. ad l. 1. part. 2. n. 32.* Christinæ *vol. 1. decis. belgic. 101. n. 5. & seqq.* Tenetur quoque viduus cautionem præstare pro legato vel fidecommisso ab alio liberis relicto *l. 6. §. 1. C. ad SC. Trebell. & Nov. 22. §. placet 41.* id quod patri, honesto alioquin ac bono viro grave est & contumeliosum per *l. testamento 17. in fin.* & ibi Bald. *ff. d. testam. tutel.* Neuenhan. *d. jure vidut. sect. 4. lit. A.*

CAP.

CAPUT SEXTUM

COMPREHENDIT

ODIUM UTRIQUE TAM VIDUÆ QUAM VIDUO AD SECUNDAS NUPTIAS TRANSIENTI COMMUNE.

SUMMARIA.

Thes. I. *Secundas nuptias contrahentes existentibus liberis proprietatem lucrorum nuptialium aliorumque bonorum morte conjugis ad se devolutorum amittunt. II. Tenentur dividere bona cum liberis. III. Novo conjugi ex propriis bonis plus dare aut relinquere non possunt, quàm uni dederunt ex liberis, cui minimum tribuerunt. IV. Filiæ prioris matrimonii dotatæ & statuto à Parentum successione exclusæ ad successionem Parentum ad secunda vota transeuntium admittuntur.*

THES. I.



SEquuntur nunc Odia secundarum nuptiarum Viris & Uxoribus communia. Et constat ex jure communi dona utrisque tam Sponso quàm Sponsæ tempore nuptiarum à convivis oblata esse communia & æqualiter inter eos dividenda *l. 10. ff. d. donat. l. 4. ff. eod. l. 6. C. eod.* idque tanto magis, quando certius est, matrimonium haberi speciem quandam Societatis *§. 1. Inst. d. patr. potest.* cujus natura hæc est, ut donata sociis, ad hoc, quò eò melius negotiari & communia negotia tractari possint, dissoluta societate, inter eos eorumque heredes æqualiter dividantur *l. si non fuerint 29. ff. pro socio* atque sic pronunciasse Lipsienses testatur Carpzov. *p. 3. c. 22. def. 1, 2.* So seyn auch desselben Erben eurem Eheweibe ihr Einbringen / und eigenthümliche Güter / wie auch die Helfte des Hochzeit Geschencks auszuantworten schuldig. Similiter *ex Novell. 53. cap. 6. & 117. c. 5. & Authentic. præterea C. unde Vir & Uxor* constat, quod defuncto conjuge divite superstes si inops sit, & liberi nulli adsint cum cognatis, si tres sint vel pauciores, in quartam, vel si plures sint in virilem partem proprietatis succedat Rittershus. *ad Novell. p. 7. c. 17.*

D. Richt.

D. Richter *ad dict. authent. praeterea n. 28.* D. Stryke *d. successión. ab intestat. cap. 5. §. 32.* Hunnius *ad Treutler. vol. poster. disp 15. qu. 48.* latius deducit *d. Authent. praeterea* competere marito. & *qu. 49.* tractat *qu. an mulier ad Secunda vota transiens, possit quartam petere ab heredibus prioris matrimonii?* Horum lucrorum aliorumq; bonorū omnium morte conjugis vel ex consvetudine, vel statuto, vel pacto, titulo lucrativo ad se devolutorum per transitum ad secunda vota proprietatem amittunt novi nupti, eamque liberis illis servare ipsique solo eorundem usufructu contenti esse jubentur *l. 3. §. illud 1. l. generaliter 5. & Authent. C. de secundis nuptiis Nov. 2. c. 3.* Adeo ut nec ullam alienandorum eorum, quantum ad proprietatem attinet, habeant facultatem *d. l. 3. vers. nec quicquam. d. l. 5. in princ. vers. alienandi sane.* Ampliantque DD. hanc assertionem, ut, quod dicitur maritum vel uxorem privari successione filii quoad proprietatem ex testamento mariti vel uxoris sibi delatam, & solum habeat usufructum, si extant alii liberi, procedat etiam, si agatur de successione ab intestato Bald. *consil. 42. in med. vers. tertio casu lib. 3.* neque interesse, sive transeant ad secunda vota post successionem, sive ante; quia paria sunt Ruin. *consil. 37. n. 9. & seq. ver. tertiò superest. lib. 3.* imò tam maritum quàm uxorem transientem ad secunda vota, si habent filios ex primo matrimonio, privari legato facto sibi ab altero conjugum relictis filiis Rom. *consil. 182. colum. 1.* Tusch. *pract. conclus. lit. N. concl. 162.* eundem in modum apud D. Richter *p. 6. cons. 37.* deductum legitur n. 21. Was denn die vierte und letzte Ursach und quaestion anlangen thut / ob nehmlich Beklagte ihre vermachte nießlich Gerechtigkeit / in deme sie sich anderwerts verheyrathet / verrucket habe oder nicht / ist gleichwol in denen allgemeinen Keyserl. Rechten versehen / daß wenn die überlebende Wittib sich in die andere Ehe begiebt / daß sie hierdurch der Eigenthümlichen Gerechtigkeit des jenigen / so Ihr von ihrem abgestorbenen Ehewirth erblich vermacht / oder sonsten von ihme erblich uf sie kommen / beraubt und den Kindern erster Ehe heimgefallen seyn sol per textum citat. *in l. foemina & l. hac edictali §. hu illud C. d. secund. nupt.* & hoc ipsum non tam in matre quàm in patre locum habet, ut tenet *gloss. in d. l. foemina §. illud, in verbo delata* quam Bart. ibi & communiter DD. sequun-

 sunt

tur. Azo *in summa illius tit circa finem in vers. Item quaecunque dicta sunt.* Oldradus hoc idem sequitur *in consil. 33. incipit, quidam habuit uxorem* Roman. *in consil. 182. incip. in casu proposito.* Aretin. *consil. 34. incipit: prosequendo ordinem* Huc referuntur casus, ut quando Parens uni liberorum, qui defuncto Parente olim cohæres successerat, postmodùm defuncto heres sit una cum reliquis liberis, si nupserit, proprietatem eorundem bonorum amittat, retento usufructu, *authent. ex testamento C. d. secund. nupt.* Mynsing. *cent. 5. observ. 24.* & ab hac constitutione in judicando non esse recedendum tenet Everhard. *consil. 213. n. 27.* & juxta eam pulchrè consuluit Fr. Aretin. *consil. 72.* Paul de Castr. *consil. 199. vol 2.* & in terminis facti speciem consulendo latius deducit D. Philip. Reyserus quondam Camer. Imperial. Advocat *in repetition. seu discurs. authentic. ex testamento C. d. secund. nupt. per tot.* & Consilium JCtorum Ingolstadiensium in iisdem terminis inseruit *thesauro practico* Besoldus *lit. A. verb:* Andere Ehe quod vide. vel quando juxta Consvetudines quarundam civitatum Imperialium superstes Conjux solutus morte alterius matrimonio succedit liberis defunctis fratribus vel sororibus germanis omninò exclusis contra jus commune text. *in §. si verò Authent. d. hered. ab intestat. venient.* tunc Consvetudines hujusmodi non habent locum, si superstes convolet ad secundas nuptias, & successio tunc reducatur ad terminos juris communis, & sic superstes parens unâ cum fratribus defuncti pariter succedat, Gail. *lib. 2. observ. 98.* ubi tamen *n. 7.* notat, hanc limitationem non ubique recipi, longoque usu aliter in quibusdam Germaniæ civitatibus observatum, & multis præjudiciis contradictorio judicio confirmatis obtentum esse. Et supra dicta pœna, ratione privationis, extenditur ad quamcunque concessionem ex titulo lucrativo, adeo, ut si uxor habeat emphyteusin ab Ecclesia, patiatur investiri seipsam & maritum, ita quòd uno decedente, alius succedat, teneatur maritus (& vice versa mulier) conservare filiis uxoris ex primo matrimonio, quia habuit ab ea titulo lucrativo Alexand. *consil. 119 viso processu n. 4. & seq. verb. de reliqua verò dimidia lib. 5.* ubi secus dicit, si non extarent filii primi matrimonii *n. 7.* Neque hæ pœnæ secundarum

nuptia-

nuptiarum, cùm respiciant favorem liberorum, correctæ sunt, ut communiter tenent Innocent. & DD. *in c. fin. d. secund. nupt.* Bart. *& alii in l. 1. C. eod. tit.* Decius *consil. 230. in princ.* Angel. *in auth. de non eligend. secund. nubentium in pr. 110.*

Thes. II. Statutis nonnullis provisum est, ut defuncto conjuge, viduus vel vidua ad secunda vota transiens cum liberis ex priore matrimonio natis debeat *dividere*. Sic Jure Lubecensi neque viduus neque vidua, ignorantibus liberorum suorum propinquis & defuncti defunctævæ conjugis heredibus, divisione cum iis nondum facta, ad secunda vota transire potest *Stat. Lubecens. lib. 2. tit. 2. art. 29. atque ex lib. 2. tit. 2. art. 2.* patet, Parentes necessariò teneri cum liberis dividere vid. Mevius *comment. ad d. artic. n. 8. & seq.* adeo quidem, ut et pater ad rationes reddendas teneatur, quod à jure civili recedit, quo pater ab omnibus ratiociniis est immunis, ita ut habeat plenissimam potestatem utendi fruendi rebus, quæ filiofamilias obveniunt, add. Mevius *d. l.* Ita Statutum Wismariense *artic. 73.* necessitatem dividendi inducit: kein beerbter Wittwer oder Witwe sol sich wiederum befreyen/ Er oder Sie habe denn zuvor den Kindern voriger Ehe Vormündere gekohren/ und denselben von des Verstorbenen Ehegatten guther Erbschichtigung oder nach Statt Gebrauche einen Ausspruch gethan/ bey verlust des Verstorbenen Güther/ welche an desselben Kinder alsobald verfallen seyn sollen. Es sol aber dem aussprechenden Vater und Mutter frey seyn/ ein Kindes Theil für sich zu behalten/ wie Sie denn auch die Abnützung der ausgesprochenen Güter/ biß zu der Kinder mündigen Jahren/ die Sie hingegen zu alimentiren schuldig seyn/ zu geniessen haben sollen. Sunt etiam nonnullorum locorum Statuta, juxta quæ viduus vel vidua ad secundas nuptias transiens *bona tam paterna quàm materna*, prout in communione fuerunt, cum liberis *ex æquis partibus dividere tenetur.* Qualia Statuta prima fronte iniqua videntur, inprimis si v.g. pater ditissimus, à quo bona dividenda proveniunt, utplurimùm ipsius sudore adquisita, ad secunda vota transiens cogitur dimidiam bonorum suorum nolens volens liberis suis relinquere,

re, vid. Hartw. à Dassel *ad Statut. Luneburg. art. 1. n. 26.* Æquitatem tamen talia habere & partem illam bonorum parentis binubi deberi non ut partem hæreditatis, sed, juxta Cothmannum, velut debitum Statutarium rationibus evincit D. Crusius *ad Jus Statutarium Mindense lib. 2. tit. 2. decis. 2.* & in pluribus Ditionibus & Civitatibus tam Imperialibus quàm Municipalibus similia Statuta usu recepta esse referunt DD. de Austriâ testatur Hartw. à Dassel *ad statut. Luneburg. §. 5. n. 14.* de Thuringiâ Modest. Pistor. *p. 4. qu 164. in pr.* de Marchiâ Brandenburgensi Schepliz *ad consuet. Brandenburg. ad §. 1. tit. 1. part. 3.* de Lubeca vid. Mevium *ad Stat. Lubec. p. 2. t. 2. art. 2.* de Mindâ Crusium *l. c.* de Lunæburg. Dassel *ad Stat. Luneb.* Hamburg *Statut. Hamburg. l. 3. c. 3. art. 3. & 4.* de Bremâ Modest. Pistor. *v. l. 2. cons. 2. in pr.* Sic etiam Statutis provisum est, ut Conjux superstes si ad secundas nuptias non processerit, rebus cum liberis communiter fruatur, nec ad divisionem cogi possit; uti ex responso Dnn. JCtorum Jenensium an. 1662. dato apud D. Richter. *p. 4. consil. 14. n. 6.* elucet: Ob gleich die Kinder mit der Mutter in dem Testamento æqualiter pro heredibus instituiret seyn/ Als aber in dem Jure Statutario, welches zu Goßlar observiret / versehen / daß die hinterbliebene Wittibe/ so lange dieselbe ihren Wittiben-Stuel nicht verrucket/ und zur zweiten Ehe geschritten / mit den Kindern zu theilen nicht solte angestrenget werden/ so ist die Mutter bey so gestalten Sachen/ so lange dieselbe in ihrem Wittben Stande verbleiben wird/ wieder ihren Willen zu theilen nicht schuldig. In Comitatu Inferiori Schwarzburgico statuto caveri, ut nec viduus vel vidua ad secundas nuptias transire volens, publicè in Ecclesia possit proclamari, antequam diviserit cum liberis suis, nobis certò retulit laudatissimus Dn. D. Roth. Aliisque in locis remedium hocce coercendi binubos solitum esse, ut prohibeantur, antequam diviserint, cum Sacerdotali benedictione nuptias solenniter celebrare aut secundum maritum vel uxorem in domum deducere testatur D. Mevius *decis. 336* ita ut decerni soleat tum inhibitio pœnalis ad parentes binubos de non consummando, donec heredibus satisfactum, tum mandatum ad Sacerdotes de non copulando.

Thes.

Thes. III. Quamvis quis sit rerum suarum moderator ac arbiter; hocce tamen arbitrium in legibus in pœnam secundarum nuptiarum & favorem liberorum restrictum est, ita ut viduus vel vidua ad secundas nuptias transvolans extantibus prioris matrimonii liberis novo conjugi non possit plus dare aut relinquere, quàm dederit uni ex liberis cui minimum tribuerit, & si quis plus de facto dederit, id ut datum liberis prioris matrimonii læsis deferatur *l. hac edictali 6. in pr. vers. quod si plures C. d. secundis nuptiis.* addatur Stephan Durant *quæst. in suis passim Besold. in thes. pract. verb.* Andere Ehe dicit, daß ein Ehegemahl secundo conjugi nicht mehr vermachen darf/ dann einem Kind primi matrimonii. Neuenhan *d. jur. viduit. lit. a.* rem declarat exemplo: *v. gr.* Moritur *Titius* relicta *Seja* uxore cum tribus liberis. *Hæc* denuo nubit Sempronio, pactisque initis filio *natu maximo* 1000. *Secundo* genito 500. Natu *minimo* 300. (qualem inæqualem divisionem Parentes facere possunt *l. 8. C. d. inoff. testam. l. ult. C. famil. hercisc.*) relinquit. Eo casu *Seja* non plus quàm 300. quæ minima est liberorum portio, marito relinquere potest *d. l. 6. Nov. 22.* Hoc quidem per *l. 9. pr. C. d. Sec. Nupt.* mutatum, dum ibi dicitur, quòd non applicandum sit læsis, sed utriusque conjugii liberis; denuò tamen per *Authent. ad eos solos* confirmatum, scilicet, quòd hodie tantùm liberis primi matrimonii jus revocandi competat, & inter se dividendi ea, quæ in secundum conjugem collata sunt, supra legitimũ modum, Brunnem. *ad d. l. 6.* quæ aliàs obstare possint vid. apud Rittershus. *ad Nov. part. 4. c. 5. n. 3.* & Constitutionem *l. 6. & Nov. 22.* nostris moribus observari allegat Rittershus. *c. l.* Reformationis Norinbergens. *l. 8. sub tit. 28.* Von Heyrathen: Wie viel/ die zur andern Ehe geruffen/ und Kinder haben/ den andern Ehegenossen vermachen mögen: So das bleibend der Ehe/ nach absterben seiner Ehegenossen sich wider verheurathet/ so oft sich das gebe/ und absteigende Erben/ aus voriger Ehe vorhanden weren/ so sol dasselbige bleibend der Ehe/ nicht Macht haben/ seinem andern Ehegenossen/ es sey durch Heyrath geding/ Geschäfft/ Geschick/ oder Ubergabe uf den Todes-Fall oder Leben gestattet/

mehr zu vermachen / zuverschaffen und zu übergeben / denn als viele einem Kind aus erster Ehe oder den Enklein (die anstatt ihrer Väter und Mutter für eine Person zu rechnen) werden mag ꝛc. ꝛc. §. *ult. l. 6. t. 32* verb: Wurde aber solch Heurath Geding / Versprechen / Ubergab / oder Geschenck / einen Kinds Theil übertreffen / so ist es von Unwürden und unkräfftig und wird die Ubermaß unter die Kinder aus erster Ehe getheilet ꝛc.

Thes. IV. Moribus germanorum fœminæ præsertim inter Nobiles dote congruâ constitutâ solent mediante juramento specialiter renunciàre *successioni*, idque in gratiam masculorum, ut bona in agnatione conservata familiam illustriorem efficiant, & pro hisce renunciationibus quotidie solet pronunciari, teste D. Carpzov. *ad p. 3. const. 35.* D. Richter. *decis. 69. p. 1.* Suntque statuta, quæ ob eandem rationem, conservandarum nempe familiarum, filiam dotatam â parentum successione excludunt. Tali tamen statuto vel renunciatione non obstante filia prioris matrimonii ita exclusa ad successionem Parentum ad secundas nuptias transeuntium admittitur, cujus ratio est *in l. 5. §. in his. & auth. hæres. C. d. secund. nupt.* ac quòd talia lucra liberis ex alia causa deferantur, renunciationem non concernente, nam renunciatio ad successionem spectat, quæ ex voto parentum defertur *l. scripto. § final. ff. unde liberi.* at lucra illa injuriam liberorum concernunt, quæ ex repetito matrimonio ipsis irrogantur. Nec obstat jurata renunciatio, quia juramentum non auget renunciationem extensivè, sed tantùm intensivè uti loquitur Oldra. *cons. 294. n. 3.* & quemadmodum renunciatio non extenditur ad ignota, & non cogitata *text. in l. mater §. cæterùm ff. de inofficios. testam.* ita nec juramentum *text. in c. inveniens. de jurejur.* Gail. *lib. 2. obs. 98.*

CAPUT SEPTIMUM
ET
ULTIMUM
complectitur
CESSATIONEM ODII
circa
SECUNDAS NUPTIAS.

SUMMA-

SUMMARIA.

Thes. I. *Statuta & Consvetudines cujusvis loci sunt attendenda. II. Q. Num odia ista per Jus Canonicum sint sublata? III. Mulier intra annum luctus nubens de Jure Can. non fit infamis, & quando cesset pœna hæc de jure communi Saxonico. IV. Nec amittit lucra. V. Quid eodem jure circa successionem & divisionem bonorum obtineat. VI. An Vitricus tutor esse privignorum? Corollarium.*

THES. I.

Atque hactenus de Odiis Secundarum Nuptiarum tam de jure Communi quàm Statutis nonnullorum locorum dicta sunt. Sed cùm jura civilia civilibus tolli possint, juxta supra *cap. 3. thes. 6.* dicta, cujusvis regionis constituta & consvetudines sunt attendenda. Statuta enim non minus obligant subditos, quàm leges universales, quarum vim & efficaciam habent, & pro lege civili habentur eo in loco, ubi sunt promulgata, Alexand. *lib. 2. cons. 87. n. 1. vers. quia statutum est jus civile.* Felin. *in c. cum licet 12. n. 10. X. d. præscription.* Interim pro jure communi stat præsumtio, donec probetur observantia contraria.

Thes. II. *Num* autem *pœna & odia secundarum nuptiarum per Jus Canonicum sint sublata* Q.? Hanc quæstionem optimè examinarunt Rittershus. *in different. jur. civil.* & *Canonic. lib. 2. cap. 4.* & *ad Novell. part. 4. cap. 3. n. 18.* Scipio Gentilis *d. secund. nupt. cap. 18.* Bartol. *ad §. prima siquidem Novell.* 12. *d. nuptiis. versic. 3.* distingvit inter pœnas, quas patitur mulier ex eo, quia nupsit intra tempus luctus, & eas, quas patitur, quia non intra tempus luctus, sed extantibus liberis ex priore matrimonio iterum nupsit. Prioris generis pœnas ait esse sublatas per Jus Canonicum *c. pen. & ult. X. d. secund. nupt.* Posterioris generis non item.

Thes. III. Mulier intra annum luctus nubens *de Jure Canonico* Infamis non fit, expressus textus est in canone *Euphemium caus. 2. qu. 2.* ibi: *Non sunt infames lege canonum omnes, quos leges seculi pronunciant,* cui assentitur Pontifex *in cap. super illa X. d. secund. nupt, & in cap. ult. X. eod.* Quæritur autem *Num in nostris*

Eccle-

Ecclesiis misso jure civili sequamur Pontificium? Negat Carpzov. *lib. 2. Jur. Consistor. def 159 tit. 9.* Quemadmodum verò de jure civili poteſt quis Principi ſupplicare, ut intra annum luctûs nuptias contrahat, & ſic infamiam evitet *l. solet ff. d. his qui not. infam. Nov. 22. cap. 22. & 40.* & poſt contractas hujusmodi nuptias certis conditionibus ſupplicare *d. c. 22. 40.* ut infamis non fiat. Sic hodie ad evitandas iſtas pœnas poteſt *dispensari* à Magiſtratu, cùm nulla in ſacris reperiatur ſanctio prohibitiva, ſed jure ea nitatur civili ac municipali, cui derogare Principi fas eſt Knichen *d. territor. c. 2. n. 179.* Sunt alii præterea caſus, in quibus pœnæ ſupra *cap. 3. thes. 6.* recenſitæ ceſſant. v. g. quando pater filiam ſuam denuò præmaturè collocat in matrimonium ex ignorantia; vel novus maritus ignoranter duxit eam, quæ nondum eluxit priorem maritum *l. 1. §. 7. l. 1. C. d. sec. nupt. l. 8. & l. 11. §. ult. ff. d. his qui not. infam.* vel ſi juſſerit pater, cujus in poteſtate eſt is, qui talem fœminam præmaturè duxit. *l. 11. d. his qui not.* excuſatur quoque mulier a pœnâ, ſi intra annum luctûs pepererit, & deinde ad ſecundas nuptias tranſierit, *d. l. 11.* vel ſi prior maritus defunctus talis non fuerit, quem lugere non oportet more majorum, v. g. ſi ob crimen læſæ Majeſtatis fuerit damnata ejus memoria, vel ob hæreſin, vel ſi omnino ob aliud aliquod crimen damnatus fuerit, Rittersh. *d. l. n. 10. & seqq.* Ceſſat etiam odium hocce in *Sponsis*; licet enim Sponſalia de præſenti habeantur pro nuptiis, non tamen ſunt conſummatæ; imò Sponſus ac Sponſa Conjugum nomine veniunt in impropria verborum ſignificatione Bald. *ad l. oratio ff. d. Sponsal.* nec per Sponſalia quædam fit noverca *§. 9. Inst. d. nupt. l. 12. §. 1. ff. d. rit. nupt.* & in odioſis ac pœnalibus ſtrictè procedendum, nec extra terminos evagandum *l. penult. ff. d. pæn. l. 19. d. lib. & posth.* ut proinde pœna nuptiis tantùm dicta faciat Sponſalia impunita *per text. express. l. 9. § 1. l. 10. §. 1. ff. d. his qui not. inf.* quomodo quidam hoc limitent vid. Neuenhan. *d. l. sect. 4. l. a.* De *Jure Saxonico* à ſevera Impp. ſanctione, quâ infamia irrogatur intra annum luctus nubenti, receditur. Eodem Jure Solus Elector, non Conſiſtorium Supremum, diſpenſat Carpz. *d. l. def. 162.* Non tamen facilè

facilè dispensandum circa prohibitionem nuptiarum tempore luctûs, si præsertim paucæ effluxerint septimanæ ab ultimo conjugis defuncti die, Carpz. *def.163* Sufficiens autem ac justa dispẽsationis causa habetur ad matrimonium secundum tempore luctûs consummandum, si prior maritus ante obitum lecto decumbens longè ægrotaverit, vel debitum conjugale non præstiterit, inprimis, si juramento obtineat, quod maritus intra annũ carnaliter eam non cognoverit, Carpz. *def.164*. Quorsum referendus est casus, quando dissolutum matrimonium est per divortium, ita ut tempus luctûs quidem non observetur, ad vota tamen secunda non nimis sit properandum, Idem *def.165*. Non tamen permittendæ sunt nuptiæ, priusquam de obitu seu morte prioris conjugis constet, eaque duobus ad minimum testibus probetur, Idem *def.166*. Admittitur quoque viduus vel vidua, si mortem Conjugis defuncti juramento suo probare velit, Idem *def.169*. In talibus casibus copulatio Sacerdotalis absque ceremoniis & ritibus consvetis ut peragatur â Consistoriis decerni solet, vid. D. Præses *in dissert. d. Hierolog*. Sponsalia quod attinet, subsistunt quidem ea tempore luctûs contracta, sed consummationem matrimonii suspendi debere deducit Carpz. *d. l. def.161*.

Thes. IV. Circa amissionem lucrorum nuptialium, hereditatum, legatorum, fideicommissorum, donationum mortis causa *in Foro Saxonico* in secundò nubentibus odium cessat, adeo ut nec luxoriosè vivens intra annum luctûs perdat bona prædictis titulis sibi delata Landrecht *lib.1. art.5.* Goldbec. *in tract. d. gerad. c.9. n.7.* ne melioris sit conditionis vidua luxoriosè vivens, quàm alteri nubens, ut proinde Carpz. *d. l. def.162.* Zobel *in add. ad Gloss. latin.* Coler *part.1 dec.64.* dicant: *l.1. & tot. tit. C. d. secund. nupt.* in foro Saxonico abrogatam esse, idque dubio carere. Neque, vidua filii sui ex asse heres facta per secundas nuptias proprietatem bonorum â filio relictorum eodem jure (sc. Saxonico) amittit, Schurer *d. success. ab intest: tit. 11. differ. 4.* D. Brunnem. *cent. 2. decis. 59. n. 19.* nec amittit per secundas nuptias rei donatæ proprietatem Gædd. *consil. 70. n. 1.* Schneidw. *in §. est & aliud 4. Inst. d. donat.* Brunnem. *cent. 4.*

decis.

decis. 59. *n.* 19. Sic in *Marchia* proprietatem rerum in primo matrimonio quæsitarum nuptiæ secundæ non adimunt teste Bruneman *cent.* 1. *decis.* 80. Idemque *c.* 5. *dec.* 25. quæstionem: *An mater ad secunda vota transiens, si prædium à priori marito acceptum permutaverit cum alio prædio, an liberis prioris matrimonii jus novo illo prædio competat, & an inde portionem statutariam petere possit?* negativè in Collegio ICtorum Francofurtensium decisam fuisse refert, scil. quia de observantia pænæ secund. nupt. cessant, ubi numero ultimo infert, quod de jure communi aliud veniat statuendum. Sic de jure communi si conjux superstes transeat ad secunda vota cum consensu liberorum, non amittit proprietatem *l. fœmina 3.C d. secund. nupt.* modò iste consensus sit expressus, & liberi de pœnis legalibus certiorentur Jason Mayn. *vol.* 1. *consil.* 53. *n.* 8. & *seqq. n.* 11. Gail. *lib.* 2. *obs.* 98. *n.* 19. Hartm. *lib.* 2. *pract. obs.* 7. *n.* 3. Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 54. nec tacitus consensus ex præsentia in celebratione nuptiali inferri potest, in actu enim præjudiciali, odioso & vituperabili præsens ac etiam tacens non videtur consentire, quas regulas in hunc sensum deducunt Johan. de Garronibus *tr. d. secund. nupt. p.* 2. *n.* 7. Castillo *in tract. d. usufr. cap.* 2. *n.* 100. quodque nuda præsentia sine aliis adminiculis nihil hîc noceat liberis Grævæus 2. *concl.* 98. *consid.* 1. *n.* 22.

Thes. V. De *Jure Saxonico* viduus vel vidua novercæ vel vitrico plus potest in testamento relinquere, quàm uni ex liberis prioris conjugii, prout testatur Berlich. *p.* 3. *conclus. pract.* 29. *n.* 48. dumodo legitimam salvam habeant liberi, utpote ipsis jure naturæ debitam *l.* 36. §. 2. *C. d. inoff. testam.* Sic Maritus in bonis omnibus mobilibus defunctæ suæ uxori succedit Landrecht *lib.* 3. *art.* 76. etiã in pecuniâ ex bonis immobilibus redacta, ita tamen, ut si liberi adsint, alienationi immobilium interveniat decretum Magistratus, aliàs illa pecunia mariti lucro non cedit D. Richter *tr. d. success. ab intest. sect.* 4. *memb.* 4. *n.* 10. & *seqq.* Magnif. D. Joh. Jacob. Fuhrman ICt. & Consiliar. Martisburgens *in dissert. d. jure Novercar. singular. th.* 21. Eodem jure ob *Divisionem* bonorum paternorum cum liberis primi matrimonii haud factam

pro-

prohiberi non poteſt vidua ſecundas contrahere nuptias, Carpzov. *d. l. def.* 171. & ita reſcripſiſſe Conſiſtorium Supremum teſtatur ibidem, verb: Dieweil denn Supplicantens Bericht nach/ seine verlobte Braut iedesmal und noch mit ihren Kindern zu theilen sich erboten/ dahero der Mangel nicht an Ihr / sondern an der Kinder Vormunden selbst ist/ ohne das auch die Theilung mit diesem Ehrenwercke nichts zu schaffen hat; Als begehren an statt höchstgedachtes unsers gnädigste Herns wir hiermit/ Ihr wollet der Vormunder einreden ungeachtet/ mit dem letzen Aufgebot und ehelicher Trauung gebührlich verfahren lassen.

Theſ. VI. Ultimò de Vitrico quæri poteſt. *Num ille privignorum, quorum matrem tutricem duxerat ad ſecundas nuptias legitimè convolantem, poſſit eſſe tutor?* Et quamvis ad negativam faciat præſumta mala affectio vitrici erga pupillum, ac educatio privignorum vitrico, tanquam ſuſpecto *l. 1. ubi pupill. educ. deb.* permittenda non ſit l. 1. C. *eod.* Quæſtio tamen hæc ſimpliciter nec affirmari nec negari poteſt, cum res indifferens, & ſæpè verum ſit, quod D. Hier. *lib. 2. ep.* 49 ait, ſuperinduxit filiis non nutricium, ſed hoſtem, non parentem, ſed tyrannum; verum tamen etiam eſt, interdum & novercas & vitricos reperiri liberis benè affectos. Sic Euthichianus vitricus privignas ſuas paterno affectu aluiſſe dicitur in *l. 15. C. d. negot. geſt.* tempore Gordiani Imperatoris Gneus Octavius apud vitricum educatus fuit, ceu ex Dione refert Cujacius *6. obſerv.* 19 P. Ebutius pupillus relictus tutoribus, ſub tutela Duroniæ matris & vitrici T. Sempronii Rutili educatus, apud Livium *hiſtor. ab U. C. l.* 39. Unde nec in Francia prolis educationem amittit mater tutrix propter ſecundas nuptias, quod ſic ſatis dura ſit ſeparatio Tulden *ad C. tit. ub. pupill. educar deb.* Plura qui deſiderat de pœnis ſecundarum nuptiarum videat Joh. de Garronib. *d ſecund. nupt.* Tuſch. *concl. pract. lit. N.*

COROLLARIUM.

U*Xor marito priori viduitatem promittens, & juratò quidem, quod poſt obitum ejus nolit ad Secunda vota accedere, promiſſionem ejusmodi ſervare non obligatur.*

Quamvis dubium moveri possit, quod (I) promissa sint servanda *l.7.§.ait prætor.ff.d.pact.* & quanquam verba *pacta conventa servabo*, sint prætoris, pervenisse tamen illa de ore Dei verè inquit Bald. *in ruor. C. d. Constit.* & fidem servare naturali æquitati sit convenientissimum *l. 1. ff. d. pact.* *II.* nec subesse videatur res turpis, inhonesta, impossibilis aut ejusmodi factum, quod quo minus promissis stare teneatur, uxor causam præbere possit, tantum enim abest, quin potius Deus Opt. Max. castitatem ipse commendet & præcipiat; Sic *Apostol. 1. Corint 7.* ait: *Bonum* esse virginibus & *Viduis*, si sic permanenserint propter præsentem necessitatem. III. Nec est, quod vidua dicat se bonâ cum conscientiâ non posse vivere in viduitate. Sit ita: patiatur stimulum carnis, non statim propterea continentiam non habet. Sequatur consilium Theologi Chemnitii *p. 3. examin. Concit. Tridentin. d. conjug. & cælib. c. 4. p. 37.* cujus verba digna sunt, quæ viduis nuptias anhelantibus imprimantur; *Non statim*, inquit, *uritur, qui calorem sentit, sed quando in vita cælibe titillationis concupiscentia aculeis te pungunt, & æstum aliquem sentis, non statim exclames: Te uri, sed diligentia, conatu, lucta, temperantia & oratione fortiter repugnes, timorem Dei & amorem veræ pudicitiæ opponas, impuras cogitationes præcidas, turpes motus reprimas, occasiones vites & robur resistenti a Domino tibi dari petas. Quod si hac diligentia flammæ libidinis possunt reprimi, repelli vel restingui, nondum laboras ustione, sed hoc ipsum est donum continentiæ, quod eâ diligentia in lucta â petentibus accipitur, exuscitatur, excolitur & conservatur.* IV. ante omnia consideranda est jurata promissio; cum enim Deus, qui perjuros puniendi voluntatem & potestatem habet, testis invocatur, simul ab eo perfidiæ ultio poscitur in præstito jure jurando, Dom. Soto *d. just. & jur. 8. qu. 1. art. 1. in med.* Ast viduam prædictis non obstantibus, ad servandam viduitatem non teneri seqq. evincunt rationes: I. In puncto pacti promissionisve servandæ inspiciendum esse primariò, an promissa repugnent bonis moribus aut legibus, turpemque causam contineant, factaque promissa possibilia sint tam naturâ quàm lege *l. 27. §. 4. d. pact. l. 72. l. 177. §. 6. d. verb. Obl. l. 35. §. 1. eod.* At ve-

rò

rò talis promiſſio impoſſibilitatem & turpem cauſam continet, quia læditur conſcientia, turpique vitæ lata aperitur porta repugnatque divinæ ſanctioni, quâ juniores viduæ nubere & liberos procreare jubentur, meliusque eſſe nubere quàm uri judicatur 1. *Timoth. 5. verſ. 14. Matth. 19. v. 11* II. Conſtat jure civili ſuper re ſive naturaliter ſive civiliter injuſta aut nulla, juramentum interpoſitum & ipſum actum nullum eſſe, *l. 5. C. d. legib.* imò ſecundum jus canonicum ex juſtis cauſis relaxatio juramenti poteſt impetrari, &, ſi votū ſine conſcientiæ læſione & diſpendio ſalutis æternæ ſervari nequeat, quoad vim obligandi ad ſervandum eodem jure juramentum nullum eſt, *c. 58. d. R. I. in 6. c. 18. d. jurejur.* Franzk. *ff. d. jurejur. n. 9.* & hîc periculum animæ ſubeſſe non difficulter patet ex *1. Tim. 5.* ad quem locum notanter B. Gerhardus in *loc. d. Conjug. §. 519.* ait, *Quotidiana experientia clamat, quosdam in primo quidem juvenilis ætatis flore ac vigore, cælibatus amore & admiratione ita duci, ut deliberato etiam propoſito eum ſuſcipere non reformident, qui poſtea incontinentia ita tentantur, & uſtionum flammis ita æſtuant, ut nullo conatu, nulla lucta, nec remediis aliis eas reprimere & extinguere poſſint, ideo graviſſimo ſalutis periculo ſe exponunt.* III. Conſentiunt Theologi, qui minus deliberato animo aut ex prava conſvetudine præſtita juramenta non ita obligare, ut ſolennia, ſtatuunt. vid. *Conſil. Witteberg. tit.* von Eheſachen *p. 31.* IV. facit huc effatum Imperatoris Juſtin. in *l. 2. C. d. indict. viduit.* licere uxoribus ſpreta maritorum ſuorum interminatione, quæ eis uiduitatem inducit, ad ſecundas nuptias migrare, cum interſit Reipubl. numero civium ipſam augeri, mulieresque ad hoc natura progenuerit, ut partus ederetur *d. l. 2. & ſeq. l. 2. C. d. in d. vid. ibique DD.* Rationes in contrarium adductas quod attinet, reſpondetur ad I. pacta valere, ſi poſſibilia ſint & honeſta tam jure, quàm naturâ, D. Magnif. Struve *exerc. 6. th. 42.* Schotan *exerc. 15. n. 2.* & *ſeqq.* ad II. Caſtitatis divinum præceptum non eſſe derogatorium matrimonio, ſed in proprio etiam uxoris concubitu caſtitatem ſervari poſſe ipſa fatetur Synodus Nicæna *c. Nicæna Synodus 12. deſtinct. 31.* nec A-

 poſto-

postolus aliud svadet 1. *Cor. 7. c. 37.* *bonum* esse viduis, si sic permanserint. Idem etiam paulò ante vers. 9. docuit: *dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut ego*; sed statim addit: *quod si non se contineant, nubant: melius* enim est nubere, quàm uri. Ad III. Resp Conscientiæ viduæ relinquendū est, num verum, num fictum sit, quod de non sibi concesso continerntiæ dono conquesta est. Sunt heîc media contra stimulum carnis non solùm non prohibita, sed & præcepta. Consilium B. Chemnitii sicuti Christianum & pium, ita etiam sequendum est; sed accipienda etiam sunt verba sequentia: *Si verò flammæ libidinis*, addit iis quæ supra allegata sunt, *tam ardentes sunt, ut hac diligentia vel reprimi, vel restingui vel repelli non possint, sed initio penetrent, voluntatem occupent, cor inflamment, cogitationem abripiant & totum corpus incendant, ut cor vel pleno assensu vel cæco & inquieto impetu libidinis æstuet & ardeat; tum certum est, Te non habere donum continentiæ: Et hoc est ustio, seu tentatio illa Satanæ per incontinentiam, quam Paulus remedio conjugii restinguendam esse docet ne vel corpus fornicatione, vel Spiritus ustione inquinetur.* ad IV. Resp. De iis promissionibus jure jurando munitis generatum dicimus, eas nullius esse momenti, quando majus bonum impediunt. In hoc locum habet dictum Isidori: *in male promissis rescinde fidem*, quod refertur *in c. in malis. 22. q. 4.* Atque in hanc sententiam Supremum Consistorium Dresdense rescripsisse testatur Carpzov. *lib. 2. Juris pr. Consistor. tit. 9. def. 172.*



Ex-

E*xculte Wegi*, Musis amicum sacris
Nec non Themistæ pectus, integerrime
Virtutis altæ Prosecutor; De Tuâ
Si forté vitâ vel peractis hactenus
Studiis tuismet, quamdiu nostri quidem
Aras Lycéi aspexeras ad uvida
Salæ fluenta, testimonium meum
Requireretur; qværso quid reponerem
Aliud roganti, nî, quod haud foret minus
Conforme vero, quàm Tibi laudabile?
Heic nempe vitæ nobilem Te Spiritum
Non obruisse desidi silentio
Reconditaque torpuisse inertia,
Sed perpoliti Jurium scientiâ
Stipasse cellas cultiores IngenI:
Cum me privatim, lectionis helluo
Avidus, sequebaris meæ, vel publicè
Aequi audiebas cæteros Antistites.
Nec me putet dixisse quis solummodo
Hoc, sed vel omnes confitentur, quos penes
Illustris hujus almum Athenæi decus
Simul recumbit ac Thémistos gloria,
Queis notus es; nec uspiam fugit quoque
Tuos, quibuscum victitâsti, candidos
Commilitones: quin & hoc, quod editum est
Plaudente multitudine audientium,
Responsa reddens è cathedrâ publicâ
Probè erudita, comprobat specimen satis.
Hâc macte laude, Fautor, hâc itur viâ
Ad altiora, Gratulor medullitus.

Sit

Sit porrò cœptorum Tuorum favitor
Cœleste Numen, ac, eidem quæ assidet,
Regina rerum, Juris interpres, Themis,
Possis honestos inter ordines Virûm
Prodesse dulci Patriæ, ut civem decet
Fortem probumque! Numen hoc duit! Vale.

f.

PRÆSES.

MEin Freund/so Zeit/als Glück/heist Jhn itzt aufwerts steigen/
Sein Geist will näher nun beydem Gestirne stehn.
Die Themis läst den Sinn sich nicht zur Erde neigen.
Wen Gott und Tugend führt/ der muß auff Wolcken gehn.
Ein Ander mag den Pfuhl der Eitelkeiten lieben.
Was nach den lastern schmeckt/erhebet Keinen nicht:
Die aber/so in Kunst und Wissenschafft sich üben/
Erlangen Ehr und Ruhm und kommen an das Licht.
GOtt und das Vaterland befiehlt uns so zu leben/
Daß wir zu beyder Dienst stets unverdrossen seyn.
Die Gaben/so die Gunst des Himmels uns gegeben/
Die gräbt kein edler Sinn in Erd und Aschen ein.
Drum lob ich/werther Freund/sein rühmliches Beginnen/
Dadurch er hat gezeigt/was Fleiß vor Nutzen bringt.
Des Seegens Nektar wird aus dieser Quelle rinnen/
Wer sich auff Gott verläst/ desselben Thun gelingt.

Dem Herrn Respondenten zu Ehren
setzte dieses wenige in höchster Eil

Augustus Drachstedt.